LVDOVICI NO-
garolæ Comitis

DIALOGVS.

Qui inſcribitur Timo-
theus, ſiue de Nilo.



VENETIIS,
Apud Vincentium Valgryſium.
M D L I I.

DIALOGI PERSONAE.

NOGAROLA.

FRACASTORVS.

TIMOTHEVS.

ADAMVS.

HERCVLI GONZAGAE AMPLISS. CARDINALI MANTVANO Ludouici Nogarolæ Com. Dialogus, qui inscribitur Timotheus, siue de Nilo.



VLTAE quidem res in philosophia iamdiu quærun tur, disputanturque Antistes ornatissime, quæ cum difficiles tum etiam cognitione dignissimæ sunt. Sed tamen nulla præclarior meo iudicio, nulla obscurior tractari mihi uidetur, quàm illa quæstio, quæ est de Nili incremento, opus sanè mirum naturæ, sed tàm malè perceptum & cognitum, quàm omni ætate expetitum, ac desideratum. De quo adeo Sapientes inter se discreparunt, ac dissenserunt, ut nullam rem magis torsisse hominum ingenia, satis appareat. Nullus enim ferè grauis Philosophus, nemo magnus Orator, nemo poeta elegans, nullus diligens Historicus fuit, qui (paucis quibusdam exceptis) de Nilo aliquid scribere non ausus sit. Quamuis sua unusquisque ductus ambitione, non aliorum sequi opi-

nionem, sed suam sibi ipsi fingere, atque exco gitare omnino uoluerit. Hinc plenos uideas uariis sententiis libros, quos Herodotus potissimum, & Diodorus conscripserunt. Quapro pter facilè cõcludi potest, cum antiqui scripto res de Nili accretione tam uariè senserint, eius causam in profundo (ut de ueritate ait Democritus) à natura fuisse abstrusam, ac demersam. Hæc igitur quæstio magnis tenebris circumfusa est, atq; eo admodum præclara, quod infinitas alias in se quæstiones cõtineat, nec ullo modo intelligi, nec cognosci posit, nisi multæ aliæ res informatæ, anticipatæq; sint. ita fit, ut cum de Nili incremento agitur, de uentis, pluuiis, niuibus, exortu siderum, & occasu simul tractari necesse sit. Quod sanè non accidit cum de mirabili Magnetis attractu, & reciprocatione maris differitur, quorum disputationes suis finibus contentæ, extra eorum uim, & naturam minime prodeunt, cuius quidem rei magnam nobis fecerunt fidem, & Ioannesbaptista Rhãnusius, & Hieronymus Fracastorus duobus libellis de Nili incremento nuper editis, quorum uterque doctus est, atque elegans. Sed postea cum super iis a nonnullis meis ciuibus cum Fracastoro habitus esset sermo, cui me quoque

interesse contigit, eum literis mandare uolui, ut quàm ii libelli probandi sint, omnes perno scant. Verum huic meo sermoni sanctissimũ, & gratissimum tuum nomen, quo uno recreor, ac reficior, ascribere libuit, non ut id scriptis il lustrarem ac celebrarem meis (scio enim te ne que meo neque alterius egere præconio: quip pe qui satis ad æternitatem laudis, ac gloriæ cõ sequendam te ipso contentus sis) sed potius, ut hoc meum opusculum ex tui nominis claritate non nihil luminis, & dignitatis acquireret, quo gratius, & acceptius exire in uulgus posset. Da bis igitur ueniam, si forte tibi uidear amplitudi ne tua nimis licenter abuti, nam ut id facerem, mihi potissimum persuasit tua illa summa, quæ tibi insita, innataq; est in fouendis, & comple ctendis studiosis, humanitas atque benignitas. Quare te uel huic meæ industriæ ex animo suf fragaturum magnopere confido. Sed uelim iã ad me nõ ut tecum amplius, sed cum Fracasto ro colloquentem, animum conuertas.

NOGAROLA.



IS tu mi Fracastore, quoniam nobis Verona urbe egreßis summum nunc est otium, proximum D. Leonardi collem ascendamus? & Timotheus Iustus sobrinus meus, quidnam agat, uisamus? FRA. Libenter sanè si tibi uidetur: Nam quid ego nunc malim, quàm hominem illum longo interuallo uisere, quem & propter morum suauitatem, & ob ingenij doctrinæq; præstantiam mirifice diligo & obseruo? NOG. Merito id quidem facis Fracastore, nam ipse te uicißim amat, et colit, teq; in omni suo sermone uirum singularem, atq; eximium semper prædicat, sed doleo interdum, quòd ille propter imbecillitatem ualetudinis patriam nostrã tecum nequeat suis ingenij monumentis exornare. FRA. At non cessat tamen id facere nec feriatur, quamuis quæ scribat, non permittat excidere, non enim posse otio torpescere tantum ingenium ullo modo putem. NOG. Quando igitur tibi mecũ libet ascendere, equis desiliamus, eosq; commendemus nostris pueris, qui ipsos penè habenis è collo demißis sensim prouehant. Nam cum prima huius col-

lis pars difficili sit admodum ascensu & aspero, ingredi uiam pedibus melius arbitror. FRA. Ita faciamus. i tu præ mi Nogarola, sed ea lege, ut molli & lento incedas gradu, ne forte inter eundum nobis primum moueatur sudor, quem frigus excipiat, mox doleat latus, præsertim hoc ueris initio, quo quidẽ tẽpore homines lateris dolore consumi plerunq; solití sunt. NOG. An uereris tu, qui me à primo ferè ortu claudicantem semper uideris, ne nimiam ingressu celeritatem suscipiam? Eamus, tam molli profectò tarditate utar, ut quadrupedem illam tardigradam, quam Pacuuianus Amphion tot uerbis expreßit, tibi uidear imitari. FRA. Sic agẽdum est. NOG. Lubrica admodum et præceps hæc est uia. FRA. Ita est profectò. Sed quid miraris? quasi hanc tu antea non noris uiam. NOG. Noui equidem, sed nunc longè uidetur deterrima. FRA. Ob id sanè, quòd proximæ noctis imbre permaduit. NOG. Ego uix pedibus poßum insistere, quid tu Fracastore? FRA. Piget me, quòd equo descenderim, nam à casu & prolapsione uix me sustineo. Sed me ipsum consolor, quòd haud multum iam huius difficilis restat uiæ. NOG. Properemus. FRA. Tandem euasimus, atq; illud saxosum & accliue confecimus spatium. consida

mus ergo parumper in hoc, quãuis non satis æquabili & plano loco, unde maiorem urbis nostræ partem, Athesim labentem, & latissimam agri nostri planitiem possumus despicere. NOG. *Considamus. At quàm præclarus hinc est prospectus? ut Appenninus mons à dextra nostris quasi subiectus oculis cernitur? ut Patauini & Vicentini colles? ut à sinistra conspicitur perpetua illa montium series, quæ primo Italos à Germanis, Istros & Illyricos à Pannonijs, Dalmatas à Mæsis diuidit, Mox apud Dardanos se flectens in Euxinum usq; pontum longissimo tractu protenditur? Verum spectemus nostratia, et quæ sunt (ut aiunt) ante pedes. Nunquid hos tu censes patentissimos illos esse campos, in quibus .C. Marium cum Cimbris conflixisse, atq; eosdem superasse memoriæ proditum est?* FRA. *Quid ni ita credam Nogarola? An tu fortasse aliter sentis?* NOG. *Minime uero, fossa enim mariana, quæ attingit Athesim, & Veronæ mœnibus continens est, cognoscitur ab omnibus, & sæpe legitur in nostris annalibus, nec nostris suburbijs unquàm deerit, sed dum loquentur historiæ, Romanum Imperatorem, à quo quidem ipsa nomen traxit, tantum laudis et gloriæ fuisse adeptũ perpetuò testabitur.* FRA. *Argumentum profectò non leue. Nam etiam si fos*

sam

sam marianam inter Maßiliam & Rhodanum Auaricorum stagno aßidere scribat Mela, non tamen illic Marium Cimbros uicisse existimandum est. Siquidem ut fossa illa uictoriæ contra Teutonas, sic hæc nostra contra Cimbros, Mario testimonium tribuit. NO G. *Ita censeo.* FR A. *Quid igitur à me nunc requiris?* NO G. *Id sanè, quo in mea ueteri sententia constantius permaneam, nam de ea quasi deductus sum.* FR A. *Quamobrem?* NO G. *Quia scriptum reperi in Eusebij Cæsariensis libro de temporibus.* C. *Marium quinquies* C O S. *Iuxta Eridanum Cimbros fudiße, ac post de eis cum Catulo triumphaße.* FR A. *An non perspicuè Eusebius loquitur? nec à nobis dissentit? Eridanus enim qua parte Hostiliam Vicum alluit, Agrum nostrum à Mantuano disterminat. Quare cum in eo cum Romanis pugnarent Cimbri, quorum (ut Idem affirmat) summa erat hominum millia* CCLXXX. *Ab Athesi ad padum occupaße omnia putandum est.* NO G. *Istud quidem Fracastore poßumus conijcere, Sed & hoc suspicari, alibi in citeriori Gallia iuxta Padũ, quàm in Agro Veronensi hoc factum fuiße prælium. Nam Amnis ille qui ex montis Vesuli gremio oritur, per citeriorem Galliam atque Aemiliæ regio-*

nis partem fluit ac receptis in se XXX flumini- bus in Mare Adriaticum effunditur. FRA. De Eusebio (si tibi uidetur) non curemus in præsen tia. Sed illum ueluti ambigue loquentem, dimittamus. Quid deinde? NOG. legi item proximo anno dum in lectulo æger recumberem, Aleandri Alber ti Bononiẽsis Dominicani librum, in quo uniuersam, diligentißime describit Italiam. FRA. Quid nam ait? dic quæso, nam illum quidem legi, sed memo ria excidit. NOG. Nimirum eos omnes pror- sus falli & decipi, qui C. Marium apud Athe sim pugnasse cum Cimbris existimant. FRA. Recordor nunc quidem, atque dum legerem de ui- ro illo alioquin docto, & diligenti uehementer mi- rabar, quod fossæ Marianæ, quam modo nomina- sti, & Mariani, Vallis nostræ Pollicellæ pagi, non meminerit, presertim cũ illa duo loca præclarum no bis illius pugnæ fæliciter pugnatæ testimonium dare poßint. NOG. Miror ego nunc quoque. Sed tamen hoc illum odio fecisse nostræ Vrbis minime arbitror, nam nisi nos Veronenses adamaret, profe ctò neque te, neque me, nec alios item complures no stros antiquæ & recentis memoriæ ciues summis lau dibus extulißet. FRA. Credo, sed quid? cum negat, quod. L. Florus affirmat? NOG. Ve-

rum est (inquit ille) si ita scripserit Florus, ut habetur uulgo, Nam in Flori codice contineri mendum existimat, & propterea non Athesim, sed Athisonem legendum esse. FRA. Athison ubi nam locorum est. NOG. Athisonem arbitratur non hunc nostrum esse fluuium, qui Galliæ Citerioris & Venetiæ (ut nonnullis placet) finis terminusq; est, Sed illum potius, qui eandem irrigat Galliam, Tosa uulgo nuncupatur, in lacum Verbanum sese exonerans. FRA. Tosam quidem amnem nominari frequenter audiui eumq; propter Nouariam fluere, Athisonem uero esse Italiæ fluuium, qui labatur per Galliam, neque apud Strabonem, neq; Plinium, neque Melam, neque Ptolomeum, qui hunc nostrum appellant Atrianum, usquàm repperi. quin potius si Athisonem apud quenquàm legi locupletem authorẽ significari fluuium nostrũ clare perspexi. NOG. Verum dicis, nam hic noster amnis non Ἄθεσις Sed Ἄθισων à græcis dicitur, quo factum est, ut qui Plutarchum in latinum transtulerunt, græcam seruantes dictionem Athisonem potius quàm Athesim conuerterint. FRA. Sed credis tu mi Nogarola plutarchum censuisse in uita. C. Marii, Cimbricum certamen in Agro Veronensi fuisse commissum? ac cum dico Cimbricum caue ne quicquàm intelligas de

Teutonio: Nam id in Narbonensi prouincia, apud aquas sextias fuisse factum satis constat. NOG. Profecto ualde dubius, & anceps sum, præsertim cũ omnes, ferè Plutarcho inniti uideam, qui hanc ueterem laudis memoriam nobis Veronensibus conantur eripere. FRA. Ego uero id firme teneo, nam ut non uerear, faciunt illa Plutarchi uerba à Guarino nostro in latinum conuersa.

Barbari partitis copijs Cimbri quidem per Noricos supra contra Catulum, ut itinera illa per uim occuparent, proficisci statuerunt. Teutones uero & Ambrones per Lingones contra Marium cõtendebant. NOG. Quo nam modo istæc Plutarchi uerba nostræ fauent sententiæ? FRA. Dicam equidẽ et breui. Germaniæ pars illa, quæ citra Danubium posita est, in tres populos distribuitur, Noricos, Vindelicos & Rhætos, quorum Rheti Galliæ citeriori, Norici uero Venetiæ regioni imminent, atque impendent. NOG. Intelligo. FRA. Nam hos tres populos alpes inhabitare autumat ciuis noster Plinius. Incolæ inquit alpium multi populi, Sed illustres à pola ad Tergestis regionem, succusses, Soborini, Attali, Monocaleni, iuxtaq; Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici. His contermini Rhæti & Vindelici, omnes in mul-

tas ciuitates diuisi. Hæc autem Norica Regio Tirauli comitatus in præsentia nuncupatur, quæ à Cætio monte ad Aenum fluuium extenditur, qui sane Aenipontem Ciuitatem à suo nomine dictam, interfluit. NOG. Optime tu quidem Fracastore, quamuis et illud addi posit, cum scribit Cæsar in primo Gallici belli cõmentario, Heluetios ad se Boios receptos sibi socios asciuisse, qui trans Rhenum incoluerant, & in Agrum Noricum transierant, Noreiamq; oppugnauerant, Boiorum nomine Bauaros intelligi debere, atque agrum eorum appellari noricum, neque ijs, quæ diximus, repugnare, cum Cæsar agrum Noricum, quem tamen ipse latiorem efficit, nõ Galliæ, sed Germaniæ potius attribuat. Hæc cum ita sint, Iure Seruium possumus repræhendere, qui Georgi. Libro iij. Noricum esse Illyrij partem existimet. FRA. Istud idem dicere uolui, Sed tu me interpellasti. Hucusque quid sentiat Plutarchus, explicare conatus sum. Vere tamen dicam, dictio illa Vercellas, ualde me torquet, & solicitum habet, apud quas, ut tertio die in planitièm descenderetur rem gratam Cimbris. C. Marium fecisse Plutarchus affirmat; quanto enim Vercellæ Lybicorum (ut Plinij nostri utar uerbis) ex Sallyis ortæ ab agro nostro distent interuallo, non ignoras. NOG.

Finge tu quoq; aliquid, et noua pagis nostris imponas nomina id quoq; fecit Torellus noster Sarayna, qui Vercellas appellatum iam fuisse Vicum illum, qui à nostro Cyano parum abest, nomine Vigasium, mandare literis non ueritus est. FRA. Quanta ille in loquẽdo et scribendo abutebatur licẽtia? NOG. Certe ita est. Sed tamẽ illi homini hac in re dãda est uenia, quod fortasse Vigasium uehementer amaret, ac sanctè coleret, quippe qui ex nostris rerum gestarum monumentis accepisset, eum Vicum insigni illa clade nobilitatum, qua Federicum primum cognomento Aenobarbum maiores nostri. CCCC. Ab hinc annos affecerant. Nam ibi ingentes Imperatoris illius copias profligarunt, atque ex suis finibus expulerunt. FRA. memini id quidem me legisse in nostris annalibus, et sæpius, atque in eo prælio Isnardum Nogarolam tuum imò nostrum (Nam ego cognatione uos maxime attingo) cum primam duceret aciem mortem pro patria præclare occubuisse. NOG. Illum ipsum dicis, ut arbitror, qui in D. Ceciliæ ædicula sepultus est. Torellus ergo Vigasium pagum quadam charitate complexus maiori laude uoluit exornare. FRA. Vtinam id uerè fecisset, aut saltem aliquam Vigasii cũ Vercellis similitudinem ostẽdisset, præsertim cum locum illum, in quo

nunc est Vigasium, hoc nomine aliquando nuncupatũ ex nullis monumentis erui possit. Sed tamen coniectura quadam facile moueor, ut Vercellas dictionem esse mendosam omnino existimem. NOG. Quanam mi Fracastore? dic quæso. FRA. Attende (& si libet) mihi respondeas. qui fieri potuit (non enim uerisimile arbitror) ut Cimbri, si apud Vercellas habuerant castra, Teutonum fratrum suorum cladem apud Aquas Sextias acceptam (cum alter locus alteri satis proximus sit) non statim audierint? Sed de illorum interitu non prius certiores sint facti, quàm Teutonum Reges captiuos & in uinculis coniectos apud. C. Marium conspexerint. Quamobrẽ credi par est Cimbros unà cũ Tigurinis à Teutonibus (cum omnes in Gallia ulteriore simul essẽt) discessisse, ac Germaniam ingressos transmissis Rheno & Danubio in Vindelicam peruenisse, ac peragrato tandem agro Norico & superatis alpibus in Italiam commigrasse. Quod iter sanè longum & deuium dum Cimbri faciunt, quid mali Teutonibus socijs accidisset, resciscere non potuerũt. Quid tibi uidetur Nogarola? NOG. Recte sanè nam ex Plutarcho acutè coniecisti. At si mihi liceat, dictionem Vercellas (timide tamen et uerecundè) libenter mutarem, nec absurda (ut opinor) esset mutatio.

FRA. Submutare uerbum pro uerbo audax negotium est. NOG. At literarum mutatio tolerabilis. FRA. Age istam tuam mihi mutationem, obsecro. NOG. primam huius dictionis Vercellas, quæ est V, turbini recto similis, præsertim si sit maiuscula, in caput uoluerem, ut metæ imitaretur effigiem, mox e sequentem penitus tollerem. FRA. Non intelligo, nam nimis obscure. NOG. Equidem ita uereor, ne in audaciæ repræhensionem incurram, ut aperte fari non audeam. FRA. Dic tandem, quæso, nec me suspensum diutius teneas. NOG. Vercellas (si liceat) in Arcellas conuerterem. FRA. Quid tum postea? NOG. Atq; hoc nomine Arcedum Vallis Policellæ pagum ab arce cuius nōnulla adhuc extant uestigia nuncupatum & Athesi proximum intelligerem. FRA. Vicum illum dicis, ubi duæ simul iunctæ & binis ualidis funibus, quorum alter rectus, alter transuersus est, ad ripas alligatæ sunt naues, quibus incolæ & peregrini continuis commeatibus transportantur. NOG. Illum ipsum dico, nam non procul ab eo immensa extenditur planities, in quam primo (ut scribit Plutarchus) C. Marium cum Cimbris descendisse probabile est, quo nomine Buxolengum quoq; intelligas uelim in altera Athe

sis

ſis ripa è regione poſitum. F R A. Locus ille nunc mihi ante oculos obuerſatur. Sed da ueniam, ſuſpitionem tu mihi quandam inieciſti, ne hanc dictionem tã lepide mutaueris in Sanſebaſtianorum tuorum gratiam, quibus latiſsimos et uberrimos agros hortũ ingẽtem, muro conſeptum, & diligenter conſitum cum optima Villa, quæ bona Arcedi poſsident, tantæ rei admonitione magis conciliare, & gratiora reddere uolueris, præſertim Bartholomeæ amitæ tuæ, quæ cũ lectiſsima ſit fœmina, & ab ineunte ætate literarum ſtudijs apprime dedita, nunquam deinceps (ut arbitror) illic ruſticabitur, quin ad Marianæ uictoriæ memoriam iucunde commoueatur. N O G. Sed quidnam ex L. Floro, quem adduxiſti paulo ante, poſsumus colligere? F R A. nimirum agrum noſtrum fuiſſe madefactum Cimbrorum ſanguine. Nam hæc quatuor, ordine, de populis illis refert, idque in tertio rerum libro ab Vrbe condita.

Primum Cimbros per hyemem, quæ altius alpes leuat, Tridentinis iugis prouolutos deſcendiſſe, mox Atheſim non ponte, non nauibus, ſed quadam Barbarica ſtoliditate primum corpore aggreſſos, poſtquam retinere amnem manibus, & clipeis fruſtra tentauerant, ingeſta obrutum ſylua trãſiliiſſe; Deinde in Venetia regione, quo fere tractu, Italia molliſsima eſt, ip

mihi dicas, an Vercellas in Arcellas mutare nego cium tibi nimis audax uisum sit? FRA. Non cer te, nisi forte mutationi tuæ illud obstet, quod Plutar chus βερκέλλας per β græce, non per V latine scripse rit. NOG. Scripsit ille quidem græce. Sed ta men huius loci nomen quemadmodum et pleraq; alia, à latinis accepit. Quare de mutanda eius dictione, ue luti si is latine scripserit, agendum puto. FRA. Recte tu quidem. NOG. Sed iam ad D. Leo nardi peruenimus, aperta est Cænobij ianua, recta in troeamus. Vos pueri in stabulis equos collocate, dum uenerimus. Verum, est ne ille Adamus fumanus Canonicus, qui cum Timotheo nostro hortorum a mænitate se oblectat? certe ipse est; Adeamus Sal uete uiri optimi. TIMO. Et tu saluus sis Fra castore & tu Nogarola. NOG. Quid nunc agi tis? TIMO. De ambulabamus inter nos collo quentes. NOG. Ecquis nam est liber, quem te nunc habere in manibus uideo? TIMO. Prius quam tibi respondeam considamus hic in Vmbra ubi positæ sunt sellæ. Hic est Ioannis Baptistæ Rham nusii de Africa inscriptus liber, quem nuper in uul gus edidit. NOG. Ne istum tu quæso librum di xeris, farrago potius uariarum scriptionum & diuer sarum Epistolarum congeries & collectio dicenda

est, quam tamen docti pariter atque indocti debent perlegere. TIMO. Vidimus enim totam illam partem à Rannusio & à te confectam Fracastore, quæ Nili incrementum complectitur. FRA. Depræhēdisti ne quippiam, quod non ualde probes? TIMO. Quid non probē Fracastore? qui omnia tua non modo probare, uerū etiam admirari maxime soleam? FRA. Omitte nunc istæc, Dic oro potius, an in aliquo offenderim, an quippiā incurrerim. Dic tu Adame. ADA. Faciam id quidem ac libenter, cum te id cupere tantopere uideam. Mirabar ego paulo ante de Rhamnusio illo tuo uiro doctissimo, qui cum Nilum ex regno Boiano oriri affirmet, quo nam tamen modo ex Indis eundem deuehi Vergilius faciat, non explicuerit. Vergilij quidem in. iiij. Georgi. præclara illa sunt Carmina.

Nam qua pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem gurgite Nilum,
Et circum pictis uehitur sua rura phasellis,
Quaque pharetratæ Vicinia persidis urget,
Et uiridem Aegyptum nigra fœcundat arena
Et diuersa ruens septem discurrit in ora
Vsque coloratis amnis deuexus ab indis,
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.

Ex ijs quidem uersibus aperte colligitur, Indos esse



IS tu mi Fracastore, quoniam nobis Verona urbe egreßis sum mum nunc est otium, proximum D. Leonardi collem ascendamus? & Timotheus Iustus sobrinus meus, quidnam agat, uisamus? FRA. Libenter sanè, si tibi uidetur. Nam quid ego nunc malim, quàm hominem illum longo interuallo uisere, quem & propter morum suauitatem, & ob ingenij doctrinæque præstantiam mirifice diligo & obseruo? NOG. Merito id quidem facis Fracastore, nam ipse te uicißim amat, et colit, teque in omni suo sermone uirum singularem, atque eximium semper prædicat, sed doleo interdum, quod ille propter imbecillitatem ualetudinis patriam nostrã tecum nequeat suis ingenij monumentis exornare. FRA. At non cessat tamen id facere nec feriatur, quamuis quæ scribat, non permittat excidere, non enim posse otio torpescere tantum ingenium ullo modo putem. NOG. Quando igitur tibi mecũ libet ascendere, equis desiliamus, eosque commendemus nostris pueris, qui ipsos ponè habenis è collo demißis sensim prouehant. Nam cum prima huius col-

lis pars difficili sit admodum ascensu & aspero, ingredi uiam pedibus melius arbitror. FRA. Ita faciamus. i tu prae mi Nogarola, sed ea lege, ut molli & lento incedas gradu, ne forte inter eundum nobis primum moueatur sudor, quem frigus excipiat, mox doleat latus, praesertim hoc ueris initio, quo quidē tēpore homines lateris dolore consumi plerunq; soliti sunt. NOG. An uereris tu, qui me à primo ferè ortu claudicantem semper uideris, ne nimiam ingressu celeritatem suscipiam? Eamus, tam molli profectò tarditate utar, ut quadrupedem illam tardigradam, quam Pacuuianus Amphion tot uerbis expressit, tibi uidear imitari. FRA. Sic agēdum est. NOG. Lubrica admodum et praeceps haec est uia. FRA. Ita est profectò. Sed quid miraris? quasi hanc tu antea non noris uiam. NOG. Noui equidem, sed nunc longè uidetur deterrima. FRA. Ob id sanè, quòd proximae noctis imbre permaduit. NOG. Ego uix pedibus possum insistere, quid tu Fracastore? FRA. Piget me, quòd equo descenderim, nam à casu & prolapsione uix me sustineo. Sed me ipsum consolor, quòd haud multum iam huius difficilis restat uiae. NOG. Properemus. FRA. Tandem euasimus, atq; illud saxosum & accliue confecimus spatium. consida

mus ergo parumper in hoc, quãuis non ſatis æquabili & plano loco, unde maiorem urbis noſtræ partem, Atheſim labentem, & latisſimam agri noſtri planitiem poſſumus deſpicere. NOG. Conſidamus. At q̃ præclarus hinc eſt proſpectus? ut Appeninus mons à dextra noſtris quaſi ſubiectus oculis cernitur? ut Patauini & Vicentini colles? ut à ſiniſtra conſpicitur perpetua illa montium ſeries, quæ primo Italos à Germanis, Iſtros & Illyricos à Pannonijs, Dalmatas à Mæſis diuidit, Mox apud Dardanos ſe flectens in Euxinum uſq; pontum longiſſimo tractu protenditur? Verum ſpectemus noſtratia, et quæ ſunt (ut aiunt) ante pedes. Nunquid hos tu cenſes patentiſſimos illos eſſe campos, in quibus. C. Marium cum Cimbris conflixiſſe, atq; eoſdem ſuperaſſe memoriæ proditum eſt? FRA. Quid ni ita credam Nogarola? An tu fortaſſe aliter ſentis? NOG. Minime uero, foſſa enim mariana, quæ attingit Atheſim, & Veronæ mœnibus continens eſt, cognoſcitur ab omnibus, & ſæpe legitur in noſtris annalibus, nec noſtris ſuburbijs unq̃ deerit, ſed dum loquentur hiſtoriæ, Romanum Imperatorem, à quo quidem ipſa nomen traxit, tantum laudis et gloriæ fuiſſe adeptũ perpetuò teſtabitur. FRA. Argumentum profectò non leue. Nam etiam ſi foſ

ſam

ſam marianam inter Maßiliam & Rhodanum Auaricorum ſtagno aßidere ſcribat Mela, non tamen illic Marium Cimbros uiciſſe exiſtimandum eſt. Siquidem ut foſſa illa uictoriæ contra Teutonas, ſic hæc noſtra contra Cimbros, Mario teſtimonium tribuit. NOG. Ita cenſeo. FRA. Quid igitur à me nunc requiris? NOG. Id ſanè, quo in mea ueteri ſententia conſtantius permaneam, nam de ea quaſi deductus ſum. FRA. Quamobrem? NOG. Quia ſcriptum reperi in Euſebij Cæſarienſis libro de temporibus. C. Marium quinquies COS. Iuxta Eridanum Cimbros fudiſſe, ac poſt de eis cum Catulo triumphaſſe. FRA. An non perſpicuè Euſebius loquitur? nec à nobis diſſentit? Eridanus enim qua parte Hoſtiliam Vicum alluit, Agrum noſtrum à Mantuano diſterminat. Quare cum in eo cum Romanis pugnarent Cimbri, quorum (ut Idem affirmat) ſumma erat hominum millia CCLXXX. Ab Atheſi ad padum occupaſſe omnia putandum eſt. NOG. Iſtud quidem Fracaſtore poßumus conijcere, Sed & hoc ſuſpicari, alibi in citeriori Gallia iuxta Padũ, quàm in Agro Veronenſi hoc factum fuiſſe prælium. Nam Amnis ille qui ex montis Veſuli gremio oritur, per citeriorem Galliam atque Aemiliæ regio-

nis partem fluit ac receptis in se XXX flumini-bus in Mare Adriaticum effunditur. FRA. De Eusebio (si tibi uidetur) non curemus in præsentia. Sed illum ueluti ambigue loquentem, dimittamus. Quid deinde? NOG. legi item proximo anno dum in lectulo æger recumberem, Aleandri Alberti Bononiẽsis Dominicani librum, in quo uniuersam, diligentißime describit Italiam. FRA. Quid nam ait? dic quæso, nam illum quidem legi, sed memoria excidit. NOG. Nimirum eos omnes prorsus falli & decipi, qui C. Marium apud Athesim pugnasse cum Cimbris existimant. FRA. Recordor nunc quidem, atque dum legerem de uiro illo alioquin docto, & diligenti uehementer mirabar, quod fossæ Marianæ, quam modo nominasti, & Mariani, Vallis nostræ Pollicellæ pagi, non meminerit, presertim cũ illa duo loca præclarum nobis illius pugnæ fæliciter pugnatæ testimonium dare poßint. NOG. Miror ego nunc quoque. Sed tamen hoc illum odio fecisse nostræ Vrbis minime arbitror, nam nisi nos Veronenses adamaret, profectò neque te, neque me, nec alios item complures nostros antiquæ & recentis memoriæ ciues summis laudibus extulißet. FRA. Credo, sed quid? cum negat, quod. L. Florus affirmat? NOG. Ve-

rum est (inquit ille) si ita scripserit Florus, ut habe-
tur uulgo, Nam in Flori codice contineri mendum
existimat, & propterea non Athesim, sed Athiso
nem legendum esse. FRA. Athison ubi nam
locorum est. NOG. Athisonem arbitratur non
hunc nostrum esse fluuium, qui Galliæ Citerioris &
Venetiæ (ut nonnullis placet) finis terminusq; est,
Sed illum potius, qui eandem irrigat Galliam, Tosa
uulgo nuncupatur, in lacum Verbanum sese exone-
rans. FRA. Tosam quidem amnem nomina
ri frequenter audiui eumq; propter Nouariam flue
re, Athisonem uero esse Italiæ fluuium, qui labatur
per Galliam, neque apud Strabonem, neq; Plinium,
neque Melam, neque Ptolomeum, qui hunc nostrum
appellant Atrianum, usquàm repperi. quin potius si
Athisonem apud quenquàm legi locupletem autho-
rẽ significari fluuium nostrũ clare perspexi. NOG.
Verum dicis, nam hic noster amnis non Ἀτησὶς Sed
Ἀτίσων à græcis dicitur, quo factum est, ut qui Plutar
chum in latinum transtulerunt, græcam seruantes di
ctionem Athisonem potius quàm Athesim conuer
terint. FRA. Sed credis tu mi Nogarola plu
tarchum censuisse in uita. C. Marii, Cimbricum
certamen in Agro Veronensi fuisse commissum? ac
cum dico Cimbricum caue ne quicquàm intelligas de

Teutonio: Nam id in Narbonensi prouincia, apud aquas sextias fuisse factum satis constat. NOG. Profecto ualde dubius, & anceps sum, præsertim cũ omnes, ferè Plutarcho inniti uideam, qui hanc ueterem laudis memoriam nobis Veronensibus conantur eripere. FRA. Ego uero id firme teneo, nam ut non uerear, faciunt illa Plutarchi uerba à Guarino nostro in latinum conuersa.

Barbari partitis copijs Cimbri quidem per Noricos supra contra Catulum, ut itinera illa per uim occuparent, proficisci statuerunt. Teutones uero & Ambrones per Lingones contra Marium cõtendebant. NOG. Quo nam modo istæc Plutarchi uerba nostræ fauent sententiæ? FRA. Dicam equidẽ et breui. Germaniæ pars illa, quæ citra Danubium posita est, in tres populos distribuitur, Noricos, Vindelicos & Rhætos, quorum Rheti Galliæ citeriori, Norici uero Venetiæ regioni imminent, atque impendent. NOG. Intelligo. FRA. Nam hos tres populos alpes inhabitare autumat ciuis noster Plinius. Incolæ inquit alpium multi populi, Sed illustres à pola ad Tergestis regionem, succusses, Soborini, Attali, Monocaleni, iuxtaq; Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici. His contermini Rhæti & Vindelici, omnes in mul-

tas ciuitates diuisi. Hæc autem Norica Regio Ti rauli comitatus in præsentia nuncupatur, quæ à Cætio monte ad Aenum fluuium extenditur, qui sane Aenipontem Ciuitatem à suo nomine dictam, interfluit. NOG. Optime tu quidem Fracastore, quamuis et illud addi posit, cum scribit Cæsar in primo Gallici belli cõmentario, Heluetios ad se Boios receptos sibi socios asciuisse, qui trans Rhenum incoluerant, & in Agrum Noricum transierant, Noreiamq; oppugnauerant, Boiorum nomine Bauaros intelligi debere, atque agrum eorum appellari noricum, neque ijs, quæ diximus, repugnare, cum Cæsar agrum Noricum, quem tamen ipse latiorem efficit, nõ Galliæ, sed Germaniæ potius attribuat. Hæc cum ita sint, Iure Seruium possumus repræhendere, qui Georgi. Libro iij. Noricum esse Illyrij partem existimet. FRA. Istud idem dicere uolui, Sed tu me interpellasti. Hucusque quid sentiat Plutarchus, explicare conatus sum. Vere tamen dicam, dictio illa Vercellas, ualde me torquet, & solicitum habet, apud quas, ut tertio die in planitiem descenderetur rem gratam Cimbris. C. Marium fecisse Plutarchus affirmat; quanto enim Vercellæ Lybicorum (ut Plinij nostri utar uerbis) ex Sallyis ortæ ab agro nostro distent interuallo, non ignoras. NOG.

Finge tu quoq; aliquid, et noua pagis nostris imponas nomina id quoq; fecit Torellus noster Sarayna, qui Vercellas appellatum iam fuisse Vicum illum, qui à nostro Cyano parum abest, nomine Vigasium, mandare literis non ueritus est. FRA. Quanta ille in loquēdo et scribendo abutebatur licētia? NOG. Certe ita est. Sed tamē illi homini hac in re dāda est uenia, quod fortasse Vigasium uehementer amaret, ac sanctè coleret, quippe qui ex nostris rerum gestarum monumentis accepisset, cum Vicum insigni illa clade nobilitatum, qua Federicum primum cognomento Aenobarbum maiores nostri. CCCC. Ab hinc annos affecerant. Nam ibi ingentes Imperatoris illius copias profligarunt, atque ex suis finibus expulerunt. FRA. memini id quidem me legisse in nostris annalibus, et sæpius, atque in eo prælio Isnardum Nogarolam tuum imò nostrum (Nam ego cognatione uos maxime attingo) cum primam duceret aciem mortem pro patria præclare occubuisse. NOG. Illum ipsum dicis, ut arbitror, qui in D. Ceciliæ ædicula sepultus est. Torellus ergo Vigasium pagum quadam charitate complexus maiori laude uoluit exornare. FRA. Utinam id uerè fecisset, aut saltem aliquam Vigasii cū Vercellis similitudinem ostēdisset, præsertim cum locum illum, in quo

nunc est Vigasium, hoc nomine aliquando nuncupatũ ex nullis monumentis erui posſit. Sed tamen coniectura quadam facile moueor, ut Vercellas dictionem eſse mendosam omnino existimem. NOG. Quanam mi Fracastore? dic quæso. FRA. Attende (& si libet) mihi respondeas. qui fieri potuit (non enim uerisimile arbitror) ut Cimbri, si apud Vercellas habuerant castra, Teutonum fratrum suorum cladem apud Aquas Sextias acceptam (cum alter locus alteri satis proximus sit) non statim audierint? Sed de illorum interitu non prius certiores sint facti, quàm Teutonum Reges captiuos & in uinculis coniectos apud. C. Marium conspexerint. Quamobrẽ credi par est Cimbros una cũ Tigurinis à Teutonibus (cum omnes in Gallia ulteriore simul eſsẽt) discesſiſse, ac Germaniam ingresſos transmisſis Rheno & Danubio in Vindelicam perueniſſe, ac peragrato tandem agro Norico & superatis alpibus in Italiam commigraſſe. Quod iter sanè longum & deuium dum Cimbri faciunt, quid mali Teutonibus socijs accidiſſet, resciſcere non potuerũt. Quid tibi uidetur Nogarola? NOG. Recte sanè nam ex Plutarcho acutè coniecisti. At si mihi liceat, dictionem Vercellas (timide tamen et uerecundè) libenter mutarem, nec absurda (ut opinor) eſſet mutatio.

FRA. Submutare uerbum pro uerbo audax negotium est. NOG. At literarum mutatio tolerabilis. FRA. Age istam tuam mihi mutationem, obsecro. NOG. primam huius dictionis Vercellas, quæ est V, turbini recto similis, præsertim si sit maiuscula, in caput uoluerem, ut metæ imitaretur effigiem, mox e sequentem penitus tollerem. FRA. Non intelligo, nam nimis obscure. NOG. Equidem ita uereor, ne in audaciæ repræhensionem incurram, ut aperte fari non audeam. FRA. Dic tandem quæso, nec me suspensum diutius teneas. NOG. Vercellas (si liceat) in Arcellas conuerterem. FRA. Quid tum postea? NOG. Atq; hoc nomine Arcedum Vallis Policellæ pagum ab arce cuius nõnulla adhuc extant uestigia nuncupatum & Athesi proximum intelligerem. FRA. Vicum illum dicis, ubi duæ simul iunctæ & binis ualidis funibus, quorum alter rectus, alter transuersus est, ad ripas alligatæ sunt naues, quibus incolæ & peregrini continuis commeatibus transportantur. NOG. Illum ipsum dico, nam non procul ab eo immensa extenditur planities, in quam primo (ut scribit Plutarchus) C. Marium cum Cimbris descendisse probabile est, quo nomine Buxolengum quoq; intelligas uelim in altera Athe

sis

sis ripa è regione positum. FR. A. Locus ille nunc mihi ante oculos obuersatur. Sed da ueniam, suspitionem tu mihi quandam iniecisti, ne hanc dictionem tā lepide mutaueris in Sansebastianorum tuorum gratiam, quibus latissimos et uberrimos agros hortū ingētem, muro conseptum, & diligenter consitum cum optima Villa, quæ bona Arcedi possident, tantæ rei admonitione magis conciliare, & gratiora reddere uolueris, præsertim Bartholomeæ amitæ tuæ, quæ cū lectissima sit fœmina, & ab ineunte ætate literarum studijs apprime dedita, nunq̄ deinceps (ut arbitror) illic rusticabitur, quin ad Marianæ uictoriæ memoriam iucunde commoueatur. NO G. Sed quidnam ex L. Floro, quem adduxisti paulo ante, possumus colligere? FR. A. nimirum agrum nostrum fuisse madefactum Cimbrorum sanguine. Nam hæc quatuor, ordine, de populis illis refert, idque in tertio rerum libro ab Vrbe condita.

Primum Cimbros per hyemem, quæ altius alpes leuat, Tridentinis iugis prouolutos descendisse, mox Athesim non ponte, non nauibus, sed quadam Barbarica stoliditate primum corpore aggressos, postq̄ retinere amnem manibus, & clipeis frustra tentauerant, ingesta obrutum sylua trāsilijsse; Deinde in Venetia regione, quo ferè tractu, Italia mollissima est, ip

mihi dicas, an Vercellas in Arcellas mutare nego cium tibi nimis audax uisum sit? FR. A. Non cer te, nisi forte mutationi tuæ illud obstet, quòd Plutar chus βερκέλλας per β græce, non per V latine scripse rit. NOG. Scripsit ille quidem græce. Sed ta men huius loci nomen quemadmodum et pleraq; alia, à latinis accepit. Quare de mutanda eius dictione, ue luti si is latine scripserit, agendum puto. FR. A. Recte tu quidem. NOG. Sed iam ad. D. Leo nardi peruenimus, aperta est Cænobij ianua, recta in troeamus. Vos pueri in stabulis equos collocate, dum uenerimus. Verum, est ne ille Adamus fumanus Canonicus, qui cum Timotheo nostro hortorum a mænitate se oblectat? certe ipse est, Adeamus Sal uete uiri optimi. TIMO. Et tu saluus sis Fra castore & tu Nogarola. NO G. Quid nunc agi tis? TIMO. De ambulabamus inter nos collo quentes. NOG. Ecquis nam est liber, quem te nunc habere in manibus uideo? TIMO. Prius quam tibi respondeam considamus hic in Vmbra ubi positæ sunt sellæ. Hic est Ioannis Baptistæ Rham nusii de Africa inscriptus liber, quem nuper in uul gus edidit. NO G. Ne istum tu quæso librum di xeris, farrago potius uariarum scriptionum & diuer sarum Epistolarum congeries & collectio dicenda

est, quam tamen docti pariter atque indocti debent perlegere. TIMO. Vidimus enim totam illam partem à Ramnusio & à te confectam Fracastore, quæ Nili incrementum complectitur. FRA. Depræhẽdisti ne quippiam, quod non ualde probes? TIMO. Quid non probẽ Fracastore? qui omnia tua non modo probare, uerũ etiam admirari maxime soleam? FRA. Omitte nunc istæc, Dic oro potius, an in aliquo offenderim, an quippiã incurrerim. Dic tu Adame. ADA. Faciam id quidem ac libenter, cum te id cupere tantopere uideam. Mirabar ego paulo ante de Rhamnusio illo tuo uiro doctissimo, qui cum Nilum ex regno Boiano oriri affirmet, quo nam tamen modo ex Indis eundem deuehi Vergilius faciat, non explicuerit. Vergilij quidem in. iiij. Georgi. præclara illa sunt Carmina.

Nam qua pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem gurgite Nilum,
Et circum pictis uehitur sua rura phasellis,
Quaque pharetratæ Vicinia persidis urget,
Et uiridem Aegyptum nigra foecundat arena
Et diuersa ruens septem discurrit in ora
Vsque coloratis amnis deuexus ab indis,
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.

Ex ijs quidem uersibus aperte colligitur, Indos esse

Africæ populos, è quibus Nilũ ducere ortum existimet Vergilius, cum tamen Indiam satis constet in extrema Asiæ parte, quæ ad meridiem uergit, sitam esse. Nam qui terrarum descriptionem diligenter sunt persecuti duplicem esse Indiam, alteram Indo & Gãge fluuiis, alteram eodem Gange & sinarum regione contineri asserunt. FR. A. Haud spernenda est ista quæstio Adame doctissime, quam in medium attulisti. Sed quid respondet Timotheus. TIMO. Ego ne? ad Geographos confugiendum, qui forte Indos quoque esse Africæ populos nobis ostendãt, ut Vergilium si non pedibus, at saltem animo terrarum orbem lustrasse satis appareat, Referam igitur, quod me iam legisse apud Strabonem nunc uenit in mẽtem, quosdam scriptores existere, qui Mauros esse Indos putent, qui cum Hercule in hunc locum descenderint, & propterea euenire, ut siue Nilus ex Monte Argyro (ut in Meteorologicis Aristoteles) siue ex ultimis Mauritaniæ (ut Iuba, Victruuius, & Plinius tradunt) siue (ut Ptolomæus) ex montibus lunæ ortum habeat, idem quoque ex Indis, qui cum Mauris sanguine cõmisti sunt, uere fluere dici possit. Quid ait Nogarola? NOG. Id sanè Vergilij locum ex Strabonis uerbis explicari non posse. Nam demus in Mauritaniam Indos descẽdisse, ac cum Mauris eos

dem genere effectos esse Nilum tamen oriri non ex Mauritania, Sed ex Aethiopia illa, quæ sub Aegypto posita est, satis constat, siquidem Aethiopes à Mauris longe differunt. Nam Mauritania, quæ est Africæ prouincia bifariam diuiditur in Tingitanam & Cæsariensem quarum altera quamuis occidentalem attingat oceanum, utraque tamen mari nostro alluitur, & à Nili fontibus remotissima est, quamobrē si Aethiopas esse Indos ex aliorum sententia nobis ostendisset Strabo, profectò nunc, ut facimus, non laboraremus. FR A. Quid tu igitur? NOG. Ego uero quid dicam nescio. Nam compluriumquidem doctissimorum uirorum & coram & per literas sententias rogaui, non tamen adhuc quippiam, quod penitus probem, audire potui. Si quidem quod nonnulli Aethiopas à Vergilio appellatos esse Indos asserant eo quòd duo illi uicini inter se sint populi, haudquaquam uerum est, cum inter utrosque Arabicus sinus & Persicus, Carmania & Gedrosia prouinciæ interpositæ interiectæq; sint. Illud quoque falsum est, quod dicũt alij, idcirco eo nomine à Vergilio nũcupatos Aethiopas, quod notiores uulgatioresq; sint Indi quàm Aethiopes, Nam Homerũ Aethiopum frequenter meminisse, quos bipartitos tradit ad orientem occasumque uersos, Indorum uero nunquam

meminiße notatum obſeruatumq́ eſt. Poſtremò quod alij cenſeant Vergilium cecinisse à Coloratis Indis Nilum profluere, quòd hæ duæ gentes nigrore corporis ſimiles ſint. eos redarguit Strabo ſuæ Geographiæ libro XV. qui ſcribit Aethiopas eſſe nigros & criſpos, eiusq́ rei cauſam exiſtimari ſolem, qui adurat, & humorem ad ſummam cutem uehementer trahat. Indos uero neque criſpari, neque eorum colorem aduri. non enim ita afficiuntur. propterea quòd humidi aeris participes ſunt. ADA. Optime tu quidem, ſed quid tibi uidetur ò Nogarola de Heluetio illo? NOG. De quo nam? cæperunt enim Heluetii literas diſcere? ADA. Nempe de eo, qui Melæ geographiã interpretatus eſt. NOG. Quid nam de loco hoc Vergiliano? ADA. Nimirum ueterum credulitatem ſecutum Vergilium, qui Nilum ex India ortum habere ſunt ſuſpicati; id enim ab antiquitate creditũ ſcriptum reliquiſſe Strabonem Libro XV. cum ait & Alexandrum cum crocodilos in Hydaſpe uidiſſet, & fabas ægyptias inueniſſet in Aceſine putaſſe id eſſe Nili initium & propterea claſſe in Aegyptum tanquam hoc flumine in Nilum nauigaturum, & paulo poſt intellexiſſe, quod ſperabat, effici non poſſe. NOG. Profecto tam fatua hæc & puerilis eſt interpreta-

tio,

tio, ut me ualde pudeat ipsam redarguere. ADA. Quid si ego in re tam graui Seruij honorati Grammatici, cui tot sunt in Geographia errores obiecti, sententiam uobis adducam, ridebitis ne me? NOGA. Nequaquam Adame. ADA. Qui exponens illud Vergilianum,

Sola India nigrum
Fert Hebenum.

Ita ad uerbum, atqui & in Aethiopia nascitur, sed Indiam, omnem plagam Aethiopiæ accipimus. NOG. Vnde nam istud quod dicit, assumpsit Seruius? cum Plinius Vergilium de Hebeno loquentem Indiæ nomine Aethiopiam nō intelligere, aperte asserat Lib. xij. cap. iiij. item Indiæ arborum magnitudinem unam ex peculiaribus Indiæ celebrauit Hebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Aethiopiæ intelligere maluit. Præterea idem Plinius Lib. vi. cap. xix. de Indis ita scribit, à Gange uersa ad meridiem plaga tinguntur Sole populi, iam quidem infecti, nōdum tamen Aethiopum modo exusti, quantum ad Indum accedunt, tantum colore præferunt sydus. TIMO. Ego uero Indos esse apud Vergilium Aethiopas prorsus existimo, quos etiam coloratos nuncupat, ut eos à ueris Indis distinguat, qui aut nigri omnino non sunt, ut dixit

Strabo; aut non æque ac Aethiopes, ut autumat Plinius, neque ab hac opinione, quam mordicus teneo me quisquam dimoueat, quãuis nullius Geographi authoritate fretus sim. Legi tamen apud Aristotelem quandoq; & Galenum Indum pro Aethiope acceptum. Sic.n. primo Elencho. Indi exemplo Aristoteles utitur,

οἷον ὁ ἰνδὸς ὅλος μέλας ὢν λευκὸς ἐστὶ τοὺς ὀδόντας, λευκὸς ἄρα καὶ οὐ λευκός,

Quæ quidem uerba exponens Alexander Indi loco Aethiopem nominat. Indum non nominat. NOG. Quid tu mihi nunc Aristotelis adducis exempla? cum facile poßis recordari eundem, si loquatur, ut sentit, Indiam ab Aethiopia semper disiungere, quod sanè ex his uerbis, secundi Meteor. lib. cap. de uentis, intelligi potest.

τὸ γὰρ ἀπὸ ἡρακλείων στηλῶν μέχρι τῆς ἰνδικῆς τοῦ ἐξ αἰθιοπίας πρὸς τὴν μαιῶτιν, καὶ τοὺς ἐσχάτους ὄντας τῆς σκυθίας τόπους πλέον ἢ πέντε πρὸς τρία τὸ μέγεθός ἐστιν.

id est, quod enim à columnis Herculis ad terram Indiam usque protenditur spatium, eo quod ab Aethiopia ad Mæotim & ultimas Scythiæ partes porrigitur, maius quàm quinque ad tria. Quid respondeas Timothee? TIMO. Nihil aliud in præsentia, nisi quòd hæc quæstio, cum sit admodum diffici-

lis, subtilius, & diligentius examinanda, explicandaq; in aliud tempus differri debeat. FR A. Ita fiet. Verum est ne aliud quippiam in libello Rhamnusii, quod uobis meritò reprehendi posse uideatur? AD A. Illud sanè, quod Nilum ab Homero διϊπετία appellatum existimat, idest, cuius aqua à Ioue proueniat, quasi hoc Epitheton illi amni peculiare, propriumq; sit. FR A. Quæso istud parcius, ne quod Rhamnusio obijcis, Straboni quoque obijcere uidearis: qui ita scribit lib. xvij. Eratosthenem, æstiuos imbres causam putasse, idq; ab Aristotele sumpsisse, Aristotelem uero à Thrasialco Thasio, qui unus fuit ex antiquis Physicis, Thrasialcũ autem ab alio, atque illum ab Homero, qui Nilum διϊπετία idest cœlestem dixit Odysseæ libro quarto,

ἂψ εἰς αἰγύπτοιο διϊπετέος ποταμοῖο

AD A. Scio equidem id dixisse Strabonem, eiusq; uerba græca adhuc memoria teneo, quem & propter uetustatem, & summam in Geographia excellentiam colere & uenerari maxime debeo. Sed illud tamen non ignoro, Homerum hoc idem Epithetum Sperchio & Xantho separatim, ac communiter omnibus fluminibus adiunxisse. Quod Porphyrius in libello Homericarum quæstionum, ubi quid διϊπετὴς significet, satis ostendit.

Teutonio: Nam id in Narbonensi prouincia, apud aquas sextias fuisse factum satis constat. NOG. Profecto ualde dubius, & anceps sum, præsertim cũ omnes, ferè Plutarcho inniti uideam, qui hanc ueterem laudis memoriam nobis Veronensibus conantur eripere. FR. A. Ego uero id firme teneo, nam ut non uerear, faciunt illa Plutarchi uerba à Guarino nostro in latinum conuersa.

Barbari partitis copijs Cimbri quidem per Noricos supra contra Catulum, ut itinera illa per uim occuparent, proficisci statuerunt. Teutones uero & Ambrones per Lingones contra Marium cõtendebant. NOG. Quo nam modo istæc Plutarchi uerba nostræ fauent sententiæ? FR. A. Dicam equidẽ et breui. Germaniæ pars illa, quæ citra Danubium posita est, in tres populos distribuitur, Noricos, Vindelicos & Rhætos, quorum Rheti Galliæ citeriori, Norici uero Venetiæ regioni imminent, atque impendent. NOG. Intelligo. FR. A. Nam hos tres populos alpes inhabitare autumat ciuis noster Plinius. Incolæ inquit alpium multi populi, Sed illustres à pola ad Tergestis regionem, successes, Soborini, Attali, Monocaleni, iuxtaq; Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici. His contermini Rhæti & Vindelici, omnes in mul-

tas ciuitates diuisi. Hæc autem Norica Regio Tirauli comitatus in præsentia nuncupatur, quæ à Cætio monte ad Aenum fluuium extenditur, qui sane Aenipontem Ciuitatem à suo nomine dictam, interfluit. NOG. Optime tu quidem Fracastore, quamuis et illud addi poßit, cum scribit Cæsar in primo Gallici belli cõmentario, Heluetios ad se Boios receptos sibi socios asciuisse, qui trans Rhenum incoluerant, & in Agrum Noricum transierant, Noreiamq; oppugnauerant; Boiorum nomine Bauaros intelligi debere, atque agrum eorum appellari noricum, neque ijs, quæ diximus, repugnare, cum Cæsar agrum Noricum, quem tamen ipse latiorem efficit, nõ Galliæ, sed Germaniæ potius attribuat. Hæc cum ita sint, Iure Seruium possumus repræhendere, qui Georgi. Libro iij. Noricum eße Illyrij partem existimet. FRA. Istud idem dicere uolui, Sed tu me interpellasti. Hucusque quid sentiat Plutarchus, explicare conatus sum. Vere tamen dicam, dictio illa Vercellas, ualde me torquet, & solicitum habet, apud quas, ut tertio die in planitiem descenderetur rem gratam Cimbris. C. Marium fecisse Plutarchus affirmat; quanto enim Vercellæ Lybicorum (ut Plinij nostri utar uerbis) ex Sallyis ortæ ab agro nostro distent interuallo, non ignoras. NOG.

Finge tu quoq; aliquid, et noua pagis nostris imponas nomina id quoq; fecit Torellus noster Sarayna, qui Vercellas appellatum iam fuisse Vicum illum, qui à nostro Cyano parum abest, nomine Vigasium, mandare literis non ueritus est. FRA. Quanta ille in loquēdo et scribendo abutebatur licētia? NOG. Certe ita est. Sed tamē illi homini hac in re dāda est uenia, quod fortasse Vigasium uehementer amaret, ac sanctè coleret, quippe qui ex nostris rerum gestarum monumentis accepisset, eum Vicum insigni illa clade nobilitatum, qua Federicum primum cognomento Aenobarbum maiores nostri. CCCC. Ab hinc annos affecerant. Nam ibi ingentes Imperatoris illius copias profligarunt, atque ex suis finibus expulerunt. FRA. memini id quidem me legisse in nostris annalibus, et sæpius, atque in eo prælio Isnardum Nogarolam tuum imò nostrum (Nam ego cognatione uos maxime attingo) cum primam duceret aciem mortem pro patria præclare occubuisse. NOG. Illum ipsum dicis, ut arbitror, qui in D. Ceciliæ ædicula sepultus est. Torellus ergo Vigasium pagum quadam charitate complexus maiori laude uoluit exornare. FRA. Vtinam id uerè fecisset, aut saltem aliquam Vigasii cū Vercellis similitudinem ostēdisset, præsertim cum locum illum, in quo

nunc est Vigasium, hoc nomine aliquando nuncupatũ ex nullis monumentis erui posſit. Sed tamen coniectura quadam facile moueor, ut Vercellas dictionem eſse mendoſam omnino exiſtimem. NOG. Quanam mi Fracaſtore? dic quæſo. FRA. Attende (& ſi libet) mihi reſpondeas. qui fieri potuit (non enim uerisimile arbitror) ut Cimbri, ſi apud Vercellas habuerant caſtra, Teutonum fratrum ſuorum cladem apud Aquas Sextias acceptam (cum alter locus alteri ſatis proximus ſit) non ſtatim audierint? Sed de illorum interitu non prius certiores ſint facti, quàm Teutonum Reges captiuos & in uinculis coniectos apud. C. Marium conſpexerint. Quamobrẽ credi par eſt Cimbros unà cũ Tigurinis à Teutonibus (cum omnes in Gallia ulteriore ſimul eſsẽt) diſceſsiſſe, ac Germaniam ingreſſos tranſmiſſis Rheno & Danubio in Vindelicam perueniſſe, ac peragrato tandem agro Norico, & ſuperatis alpibus in Italiam commigraſſe. Quod iter ſanè longum & deuium dum Cimbri faciunt, quid mali Teutonibus ſocijs accidiſſet, reſciſcere non potuerũt. Quid tibi uidetur Nogarola? NOG. Recte ſanè nam ex Plutarcho acutè conieciſti. At ſi mihi liceat, dictionem Vercellas (timide tamen et uerecundè) libenter mutarem, nec abſurda (ut opinor) eſſet mutatio.

FRA. Submutare uerbum pro uerbo audax negotium est. NOG. At literarum mutatio tolerabilis. FRA. Age istam tuam mihi mutationem, obsecro. NOG. primam huius dictionis Vercellas, quae est V, turbini recto similis, praesertim si sit maiuscula, in caput uoluerem, ut metae imitaretur effigiem, mox e sequentem penitus tollerem. FRA. Non intelligo, nam nimis obscure. NOG. Equidem ita uereor, ne in audaciae reprae hensionem incurram, ut aperte fari non audeam. FRA. Dic tandem, quaeso, nec me suspensum diutius teneas. NOG. Vercellas (si liceat) in Arcellas conuerterem. FRA. Quid tum postea? NOG. Atq; hoc nomine Arcedum Vallis Policellae pagum ab arce cuius nōnulla adhuc extant uestigia, nuncupatum & Athesi proximum intelligerem. FRA. Vicum illum dicis, ubi duae simul iunctae & binis ualidis funibus, quorum alter rectus, alter transuersus est, ad ripas alligatae sunt naues, quibus incolae & peregrini continuis commeatibus transportantur. NOG. Illum ipsum dico, nam non procul ab eo immensa extenditur planities, in quam primo (ut scribit Plutarchus) C. Marium cum Cimbris descendisse probabile est, quo nomine Buxolengum quoq; intelligas uelim in altera Athe

sis

ſis ripa è regione poſitum. FR. A. Locus ille nunc mihi ante oculos obuerſatur. Sed da ueniam, ſuſpitionem tu mihi quandam iniecisti, ne hanc dictionem tā lepide mutaueris in Sanſebastianorum tuorum gratiam, quibus latiſſimos et uberrimos agros hortū ingētem, muro conſeptum, & diligenter conſitum cum optima Villa, quae bona Arcedi poſſident, tantae rei admonitione magis conciliare, & gratiora reddere uolueris, praeſertim Bartholomeae amitae tuae, quae cū lectiſſima ſit foemina, & ab ineunte aetate literarum ſtudijs apprimè dedita, nunq̄ deinceps (ut arbitror) illic ruſticabitur, quin ad Marianae uictoriae memoriam iucundè commoueatur. NOG. Sed quidnam ex L. Floro, quem adduxiſti paulo ante, poſſumus colligere? FR. A. nimirum agrum noſtrum fuiſſe madefactum Cimbrorum ſanguine. Nam haec quatuor, ordine, de populis illis refert, idque in tertio rerum libro ab Vrbe condita.

Primum Cimbros per hyemem, quae altius alpes leuat, Tridentinis iugis prouolutos deſcendiſſe, mox Athesim non ponte, non nauibus, ſed quadam Barbarica ſtoliditate primum corpore aggreſſos, poſtq̄ retinere amnem manibus, & clipeis fruſtra tentauerant, ingeſta obrutum ſylua trāſilijſſe; Deinde in Venetia regione, quo ferè tractu, Italia molliſſima eſt, ip

so solo, cœliq; clemētia elanguisse. postremo patentis simo, quem Caudium uocant, campo concurrisse, ibi que ad millia C X L. cæsa, Quem L. Flori locū, si intentis oculis non quasi per transennam strictim perspexisset Aleander ille monachus Dominica nus, Athesim in Athisonem non mutasset, nec Cim bros alibi, quàm in Veronensi agro occisione occisos prodidisset, cum eos ex tridentinis iugis ruina prouo lutos et Venetiæ prouinciæ mollitia effœminatos di xerit Florus. NO G. Istud sanè ita compreben di, ut mihi nulla ratione iam conuelli possit. F R. A. Sed quem nam locum esse Caudium, cuius tantum me minit Florus, existimas? NO G. Nempe cum Vicum in dextro Baldi montis latere positum, qui no stra lingua appellatur Caualium, idq; duabus rationi bus, primo quod hæc tàm lata ab eo pago incipit pla nities; secundo quòd ex Caudio in Caualium facilis est mutatio. Nam si huius nominis literam d in duas partes diuiseris prima quæ est. C. facile uirgula a dиеcta efficitur A. altera, quæ est. L. restabit integra, quare Caualium nihil aliud esse quàm depra uatum Caudium perspicue cernitur. Adde etiam, quod facile possumus suspicari Caualium esse castel lū illud æditum, quod ad flumē Athesim. Q. Catulū proconsulem insedisse, antequàm Cimbros uinceret,

Scribit in Epitome Libri LXVIII. L. Florus. FRA. Non ineptè tu quidem Nogarola sed uereor ego ne tuum hoc non sit inuentum, istud finxisse atque excogitasse Marcum pineolatum compatrem tuum potius arbitror, qui præterquàm quòd iuris ciuilis intelligentia atque omni prudentiæ genere præstantissimus sit, monumenta quoque rerum gestarum, & Vetustatis exempla optime nouit. Quapropter facilè eas potest arbitratu suo nonnulla mutendo & corrigendo temporibus & locis aptissime accomodare. quod si in ullo alio, profectò in Caualio pago suo facere maxime debet, ex quo uberrimos fructus singulis annis, & summam uoluptatem (amænissimus enim est locus) frequenter percipit. Nam si Vicus ille ut Rhætico uino nobilis est, ita quoq; Cimbricæ internitionis posthac citetur testis, nemini dubium est, quin longè amabilior tuo Pineolato sit futurus. Sed iam surgamus. NOG. Gratulor equidem mirum in modum Agro nostro, qui debitum antiquæ laudis testimonium, quo à Dominicano illo priuatus fuerat hodierna die recuperauerit. Quare uniuersa nostra Ciuitas ut summum se tibi beneficium debere fateatur, necesse est. FRA. Non istud mihi nunc quæro. Hoc satis superque est, si tibi fecerim satis. NOG. Cumulate tu quidem. Sed uelim

mihi dicas, an Vercellas in Arcellas mutare nego cium tibi nimis audax uisum sit? FRA. Non cer te, nisi forte mutationi tuæ illud obstet, quod Plutar chus βερκέλλας per β græce, non per V latine scripse rit. NOG. Scripsit ille quidem græce. Sed ta men huius loci nomen quemadmodum et pleraq; alia, à latinis accepit. Quare de mutanda eius dictione, ue luti si is latine scripserit, agendum puto. FRA. Recte tu quidem. NOG. Sed iam ad D. Leo nardi peruenimus, aperta est Cænobij ianua, recta in troeamus. Vos pueri in stabulis equos collocate, dum uenerimus. Verum, est ne ille Adamus fumanus Canonicus, qui cum Timotheo nostro hortorum a mænitate se oblectat? certe ipse est, Adeamus. Sal uete uiri optimi. TIMO. Et tu saluus sis Fra castore & tu Nogarola. NOG. Quid nunc agi tis? TIMO. De ambulabamus inter nos collo quentes. NOG. Ecquis nam est liber, quem te nunc habere in manibus uideo? TIMO. Prius quam tibi respondeam considamus hic in Vmbra ubi positæ sunt sellæ. Hic est Ioannis Baptistæ Rham nusii de Africa inscriptus liber, quem nuper in uul gus edidit. NOG. Ne istum tu quæso librum di xeris, farrago potius uariarum scriptionum & diuer sarum Epistolarum congeries & collectio dicenda

est, quam tamen docti pariter atque indocti debent perlegere. TIMO. Vidimus enim totam illam partem à Ramnusio & à te confectam Fracastore, quae Nili incrementum complectitur. FRA. Depræhēdisti ne quippiam, quod non ualde probes? TIMO. Quid non probē Fracastore? qui omnia tua non modo probare, uerū etiam admirari maxime soleam? FRA. Omitte nunc istæc, Dic oro potius, an in aliquo offenderim, an quippiā incurrerim. Dic tu Adame. ADA. Faciam id quidem ac libenter, cum te id cupere tantopere uideam. Mirabar ego paulo ante de Rhamnusio illo tuo uiro doctissimo, qui cum Nilum ex regno Boiano oriri affirmet, quo nam tamen modo ex Indis eundem deuehi Vergilius faciat, non explicuerit. Vergilij quidem in. iiij. Georgi. præclara illa sunt Carmina.

Nam qua pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem gurgite Nilum,
Et circum pictis uehitur sua rura phasellis,
Quaque pharetratæ Vicinia persidis urget,
Et uiridem Aegyptum nigra fœcundat arena
Et diuersa ruens septem discurrit in ora
Vsque coloratis amnis deuexus ab indis,
Omnis in hac certam regio iacit arte salutem.

Ex ijs quidem uersibus aperte colligitur, Indos esse

Africae populos, e quibus Nilũ ducere ortum existimet Vergilius, cum tamen Indiam satis constet in extrema Asiae parte, quae ad meridiem uergit, sitam esse. Nam qui terrarum descriptionem diligenter sunt persecuti duplicem esse Indiam, alteram Indo & Gãge fluuiis, alteram eodem Gange & sinarum regione contineri asserunt. FRA. Haud spernenda est ista quaestio Adame doctissime, quam in medium attulisti. Sed quid respondet Timotheus. TIMO. Ego ne? ad Geographos confugiendum, qui forte Indos quoque esse Africae populos nobis ostendãt, ut Vergilium si non pedibus, at saltem animo terrarum orbem lustrasse satis appareat, Referam igitur, quod me iam legisse apud Strabonem nunc uenit in mẽtem, quosdam scriptores existere, qui Mauros esse Indos putent, qui cum Hercule in hunc locum descenderint, & propterea euenire, ut siue Nilus ex Monte Argyro (ut in Meteorologicis Aristoteles) siue ex ultimis Mauritaniae (ut Iuba, Vitruuius, & Plinius tradunt) siue (ut Ptolomaeus) ex montibus lunae ortum habeat, idem quoque ex Indis, qui cum Mauris sanguine cõmisti sunt, uere fluere dici possit. Quid ait Nogarola? NOG. Id sane, Vergilij locum ex Strabonis uerbis explicari non posse. Nam demus in Mauritaniam Indos descẽdisse, ac cum Mauris eos,

dem genere effectos esse Nilum tamen oriri non ex Mauritania, Sed ex Aethiopia illa, quae sub Aegypto posita est, satis constat, siquidem Aethiopes à Mauris longe differunt. Nam Mauritania, quae est Africae prouincia bifariam diuiditur in Tingitanam & Caesariensem quarum altera quamuis occidentalem attingat oceanum, utraque tamen mari nostro alluitur, & à Nili fontibus remotissima est, quamobrē si Aethiopas esse Indos ex aliorum sententia nobis ostendisset Strabo, profectò nunc, ut facimus, non laboraremus. FRA. Quid tu igitur? NOG. Ego uero quid dicam nescio. Nam complurium quidem doctissimorum uirorum & coram & per literas sententias rogaui, non tamen adhuc quippiam, quod penitus probem, audire potui. Si quidem quod nonnulli Aethiopas à Vergilio appellatos esse Indos asserant eo quòd duo illi uicini inter se sint populi, haud quaquam uerum est, cùm inter utrosque Arabicus sinus & Persicus, Carmania & Gedrosia prouinciae interpositae interiectaeq; sint. Illud quoque falsum est, quod dicūt alij, id circo eo nomine à Vergilio nūcupatos Aethiopas, quod notiores uulgatioresq; sint Indi quàm Aethiopes, Nam Homerū Aethiopum frequenter meminisse, quos bipartitos tradit ad orientem occasumque uersos, Indorum uero nunquam

meminisse notatum obseruatumq; est. Postremò quod alij censeant Vergilium cecinisse à Coloratis Indis Nilum profluere, quòd hæduæ gentes nigrore corporis similes sint. eos redarguit Strabo suæ Geographiæ libro XV. qui scribit Aethiopas esse nigros & crispos, eiusq; rei causam existimari solem, qui adurat, & humorem ad summam cutem uehementer trahat. Indos uero neque crispari, neque eorum colorem aduri. non enim ita afficiuntur. propterea quòd humidi aeris participes sunt. ADA. Optime tu quidem, sed quid tibi uidetur ò Nogarola de Heluetio illo? NOG. De quo nam? cæperunt enim Heluetii literas discere? ADA. Nempe de eo, qui Melæ geographiã interpretatus est. NOG. Quid nam de loco hoc Vergiliano? ADA. Nimirum ueterum credulitatem secutum Vergilium, qui Nilum ex India ortum habere sunt suspicati; id enim ab antiquitate creditũ scriptum reliquisse Strabonem Libro XV. cum ait & Alexandrum cum crocodilos in Hydaspe uidisset, & fabas ægyptias inuenisset in Acesine putasse id esse Nili initium & propterea classe in Aegyptum tanquam hoc flumine in Nilum nauigaturum, & paulo post intellexisse, quod sperabat, effici non posse. NOG. Profecto tam fatua hæc & puerilis est interpreta-

tio,

tio, ut me ualde pudeat ipsam redarguere. ADA. Quid si ego in re tam graui Seruij honorati Grammatici, cui tot sunt in Geographia errores obiecti, sententiam uobis adducam, ridebitis ne me? NOGA. Nequaquam Adame. ADA. Qui exponens illud Vergilianum,

Sola India nigrum
Fert Hebenum.

Ita ad uerbum, atqui & in Aethiopia nascitur, sed Indiam, omnem plagam Aethiopiæ accipimus. NOG. Vnde nam istud quod dicit, assumpsit Seruius? cum Plinius Vergilium de Hebeno loquẽtem Indiæ nomine Aethiopiam nõ intelligere, apertè asserat Lib. xij. cap. iiij. item Indiæ arborum magnitudinem unam ex peculiaribus Indiæ celebrauit Hebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Aethiopiæ intelligere maluit. Præterea idem Plinius Lib. vi. cap. xix. de Indis ita scribit, à Gange uersa ad meridiem plaga tinguntur Sole populi, iam quidem infecti, nõdum tamen Aethiopum modo exusti, quantum ad Indum accedunt, tantum colore præferunt sydus. TIMO. Ego uero Indos esse apud Vergilium Aethiopas prorsus existimo, quos etiam coloratos nuncupat, ut eos à ueris Indis distinguat, qui aut nigri omnino non sunt, ut dixit

Strabo, aut non æque ac Aethiopes, ut autumat Plinius, neque ab hac opinione, quam mordicus teneo me quisquam dimoueat, quãuis nullus Geographi authoritate fretus sim. Legi tamen apud Aristotelem quandoq; & Galenum Indum pro Aethiope acceptum. Sic.n. primo Elencho. Indi exemplo Aristoteles utitur,

οἷον ὁ ἰνδὸς ὅλος μέλας ὢν λευκός ἐστι τοὺς ὀδόντας, λευκὸς ἄρα καὶ οὐ λευκός,

Quæ quidem uerba exponens Alexander Indi loco Aethiopem nominat. Indum non nominat.

NOG. Quid tu mihi nunc Aristotelis adducis exempla? cum facile poßis recordari eundem, si loquatur, ut sentit, Indiam ab Aethiopia semper distiungere, quod sanè ex his uerbis, secundi Meteor. lib. cap. de uentis, intelligi potest.

τὸ γὰρ ἀπὸ ἡρακλείων στηλῶν μέχρι τῆς ἰνδικῆς τοῦ ἐξ αἰθιοπίας πρὸς τὴν μαιῶτιν, καὶ τοὺς ἐσχάτους ὄντας τῆς σκυθίας τόπους πλέον ἢ πέντε πρὸς τρία τὸ μέγεθός ἐστιν.

id est, quod enim à columnis Herculis ad terram Indiam usque protenditur spatium, eo quod ab Aethiopia ad Mæotim & ultimas Scythiæ partes porrigitur, maius quàm quinque ad tria. Quid respondeas Timothee? TIMO. Nihil aliud in præsentia, nisi quòd hæc quæstio, cum sit admodum diffici-

lis, subtilius, & diligentius examinanda, explicandaq; in aliud tempus differri debeat. FR A. Ita fiet. Verum est ne aliud quippiam in libello Rhamnusii, quod nobis meritò reprehendi posse uideatur? AD A. Illud sanè, quod Nilum ab Homero διϊπετέα appellatum existimat, idest, cuius aqua à Ioue proueniat, quasi hoc Epitheton illi amni peculiare, propriumq; sit. FR A. Quæso istud parcius, ne quod Rhamnusio obijcis, Straboni quoque obiicere uidearis: qui ita scribit lib. xvij. Eratosthenem, æstiuos imbres causam putasse, idq; ab Aristotele sumpsisse, Aristotelem uero à Thrasialco Thasio, qui unus fuit ex antiquis Physicis, Thrasialcũ autem ab alio, atque illum ab Homero, qui Nilum διϊπετέα idest cœlestem dixit Odysseæ libro quarto,

Ἂψ εἰς αἰγύπτοιο διϊπετέος ποταμοῖο

AD A. Scio equidem id dixisse Strabonem, eiusq; uerba græca adhuc memoria teneo, quem & propter uetustatem, & summam in Geographia excellentiam colere & uenerari maxime debeo. Sed illud tamen non ignoro, Homerum hoc idem Epithetum Sperchio & Xantho separatim, ac communiter omnibus fluminibus adiunxisse. Quod Porphyrius in libello Homericarum quæstionum, ubi quid διϊπετὴς significet, satis ostendit.

θαυμάσειέ τις αὐτὸν ποταμὸν οἰηθέντα, ὃν Ὅμηρος Αἴγυπτον ποταμὸν κέκληκε διιπετῆ εἰρῆσθαι διὰ τὸ ἀφανεῖς ἔχειν τὰς πηγὰς κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους ἐν οὐρανῷ καὶ οὐρανόθεν ῥεῖν, λέγει γὰρ

οὐ γάρ τοι πρὶν μοῖρα φίλους ἰδέειν
πρίν γ' ὅταν Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο
αὖθις ὕδωρ ἔλθῃς.

πρῶτον μὲν γὰρ καὶ Σπερχειὸν διιπετῆ λέγει
υἱὸν Σπερχειοῖο διιπετέος ποταμοῖο
καὶ τὸν πρὸς τῇ Φαιάκων γῇ
ἐγὼ δ' ἀπάνευθε διιπετέος ποταμοῖο
καὶ ἁπλῶς δὲ πάντας διιπετεῖς ἐν παραβολῇ λέγει
ὡς δ' ὅτ' ἐπεὶ προχοῇσι διιπετέος ποταμοῖο
βέβρυχε μέγα κῦμα

διιπετεῖς δ' οὖν λέγει τοὺς ποταμοὺς τοὺς ἐκ Διὸς γεγενημένους, τὸ γὰρ πεσεῖν ἀντὶ τοῦ γεννᾶσθαι χρῆται
ὅς λίς ἐπ' ἤματι τῷ δὲ πέσῃ μετὰ ποσσὶ γυναικὸς
ἀλλαχοῦ δ' ἔφη αὐτὶ διιπετέος Ξάνθου δινήεντος,
ὃς ἀθάνατος τέκετο Ζεύς, τοῦτο δὲ ὅτι φύσει
οἱ ποταμοὶ ἐκ Διὸς γεννῶνται ὥς που ἔφη
καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει
ᾧ λόγῳ καὶ τὰς νύμφας τοῦ Διὸς θυγατέρας λέγει
νύμφαι κρηναῖαι κοῦραι Διὸς ἔπ
νύμφαι ὀρεστιάδες κοῦραι Διὸς
ἐπεὶ καὶ τὰ ἐν ὄρεσι φυτὰ τῷ Διὸς ὕδατι τρέφονται
Ζηνόδοτος δὲ διιπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσιν.

Hæc Porphyrius. Quæ quidē uerba sic feci latina.

Mirabitur quispiam eum, qui existimatus est fluuius, uocatus ab Homero Ægyptus, διϊπετέα dictum esse ob id sanè, quòd cum occultos habeat fontes (ut opinantur Ægyptij) in cœlo, & à cœlo defluat. Nam inquit Odyss. Libro quarto.

Nam non ante dabunt socios tibi uisere fata,
Quā redeas Ægypti ad Lymphas ab Ioue lapsi.

Nam primo appellat Sperchium διϊπετῆ
Amnis sperchij natum lapsi ab Ioue.

Generatim quoq; fluuios omnes in comparatione illa nuncupat διϊπετέας.

Vt quando fluuij lapsi ab Ioue fluctibus ostia
Immensis resonant.

Quapropter omnia flumina appellat διϊπετέα quæ ab Ioue genita sunt, nam uerbo labi pro gigni utitur, unde illud.

Fœmineosq; pedes luce hac qui labitur inter.

Flumen quoq; terræ phœatiæ eodem Epitheto exprimit, cum ait.

Longè ego sum à fluuio, lapsus qui est ab Ioue.

Alibi etiam Xanthum appellauit uorticosum, quem immortalis peperit Iupiter, quod adiectiuum sumpsit pro διϊπετὴς hoc autem fecit, propterea, quòd ab Ioue natura generantur amnes, ut dixit alio

in loco. Illisq; Iouis demittitur imber.

Qua ratione Nymphas etiam Iouis filias nuncupat.

Fontanæ Nymphæ proles Iouis.

Præterea,

Montanæ Nymphæ natæ Iouis.

Nam montium plantæ aqua Iouis aluntur. Zenodotus uero διϊπετέα nitidum seu limpidum reddit. Quid dixeris Fracastore. FRA. Nihil sanè, nam etiam si græcas literas, (ut olim M. Cato in senectute didicerim) tamen uelim Rhamnusium, qui græcæ & latinæ linguæ peritißimus est, hac in re suas partes suscipere. Sed polliceri ausim, si ista tua maledicta audiat, sedulò operam daturum, ut te & seipsum & Strabonem inuasisse, quãdoq; pœniteat. ADA. Ah noli Fracastore, quæ à me amice dicta sunt, maledicta nuncupare, atque hoc pacto doctißimi illius uiri, quem multis de causis pluri mi facio, odium in me atque inuidiam concitare: quicquid enim dixi non propterea dixi, ut Rhamnusium uellicarem, & carperem, sed potius ut uos ad aliquid pro eo & Strabone dicendum inuitarem. Oro itaque, dicite iam, si quid nunc uobis in promptu est. FRA. Satis superq; de hoc Nili adiecto. Restat ne adhuc aliud quippiam, in quo Rhamnusium coarguatis? ADA. Non coarguimus Fra

castore, sed in Rhamnusio nescio quid desideramus, omisit enim. FRa. Quid nam omisit? ADA. Nempe hunc ipsum fluuium, de quo nunc agimus, nõ Nili, sed Aegypti nomine semper ab Homero fuisse appellatum, id quod attingit Plinius, quãuis subobscure. Sic quoque etiamnum Syris, ut ante nominatus per aliquot millia, & in totum Homero Aegyptus alijsq; Triton. & (ut dixi antea) admonuit Porphyrius. Hoc autem idcirco recte fictũ (ut Strabo libro xv. refert) putauit Nearchus, quòd terra Aegyptus à Nilo limum deferente effecta sit, ac propterea Nili donum ab Herodoto nuncupata. Sed hoc erratum leue, exiguumq; est, illud uero grauißimum & maximum, quòd de Nili ortu dißerens, sacrarum literarum mysteria uideatur negligere. Nam quum scriptũ sit in libro Geneseos, quòd fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, nomen uni Physon, ipse est, qui circuit omnẽ terram Euilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibiq; inuenitur Bdellium, & lapis Onychinus. Et nomen fluuij secundi Gyon, ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiæ. Nomen uero fluuij tertij Tigris, ipse uadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus Euphrates, & cæt.

quo in loco Physon nomine, Gangem, Gyon uocabulo Nilũ Augustinus intelligit, dubitantq; ferè oẽs qui in descriptione terrarum orbis uersantur, quo nã modo uerba Moseos uera sint, explicare debebat Rhamnusius. Nam etiamsi Gangem, Tigrim, & Euphratem suspicari facile possimus ab eodem Paradisi fonte fluere, atque emanare, cum ex Imauo Ganges, Tigris, & Euphrates ex Tauro, ut autumat Strabo, quamuis aliter Plinius sentiat, ortum habeant, qui duo montes in Asia sunt, in Aquilonem conuersi, de Nilo tamen Africæ fluuio, qui à meridie in Septentriones labitur, atque ab illis tribus amnibus longissime distat, id existimari nullo modo potest. Quid tu mi Nogarola, qui sacras & interiores literas non nihil attigisti. NOG. Hæc quæstio uidetur admodum difficilis, sed eam tamen facile Augustinus dissoluit. Sic enim scribit sanctissimus ille uir libro octauo, cap. septimo super Genesim ad literam. An mouebitur, quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum uero prorsus incognitos. Et ideo non potest ad literam accipi, quod ex uno Paradisi fonte diuiditur, cum potius credendum sit, quoniam locus ipse Paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde aquarum quatuor partes diuidi, sicut fidelissima scriptura testatur.

ſtatur. Sed ea flumina, quorum fontes noti eſſe dicũtur, alicubi eſſe ſub terris, & poſt tractus prolixarum regionũ locis alijs erupiſſe, ubi tanq̃ in ſuis fontibus nota eſſe perhibentur. Nam hoc ſolere nonnullas aquas facere quis ignorat? Sed ibi hoc ſcitur, ubi non diu ſub terris currit. Hæc Auguſtinus. Dic tu aliquid Timothee, nam hæc tua uerior eſt pertractatio. TIM. Dicam Nogarola, quod ſcriptum reliquit Auguſtinus uere & memoriter recitaſti. Sed pace tanti uiri dixerim, quod ipſe uult non aſſequitur. At quanto melius, Si prodidiſſet ea quatuor flumina, quemadmodum & reliqua à Tartaro illo, quem ſub terris labi in Phædone finxit Plato, profluere, atque emanare. Sed (ut noſti) in Meteorologicis ab Ariſtotele acriter repræhenditur. Nã etiam ſi plurimi exiſtant amnes, qui ſubeant terras, & rurſus reddantur, ut de Arethuſa Siciliæ fonte, de lyco Aſiæ, Eraſino Argolicæ & de Tigri Meſopotamiæ compertum eſt, hoc tamen de Nilo coniici nullo modo poteſt. Cum inter hunc & illos tres duo ſinus (ut modo dixi) Arabicus & Perſicus, tot montes, tot ſolitudines, tanta locorum ſpatia interiecta, mediaq́; ſint. NOG. Sacra igitur ſcriptura mẽtita, falſaq́; eſt. TIMO. Abſit mi Nogarola quin potius cum diuinitus inflatæ mentes eam

ædiderint, & literis mandauerint, nihil sanè falsi, nihil ficti continere putandum est. NOG. *Ita equidem arbitror. Sed unde nam hic tam magnus de Nilo fluuio (ut alios tres omittam) exortus est error?* TIM. *Ex eo sanè, quod ignorauerint nostri ueteres, quid paradisus significet.* NOG. *An nescierunt illi Xenophontem docuisse paradisum esse persicum uocabulum, qui eandem uim apud Persas, quam apud nos hortus, habeat?* TIM. *Istud quidem ex Xenophõte scire optime poterãt, sed quid paradisus uoluptatis ostendat, minime norant.* NOG. *An nõ illũ definitione, uel potius descriptione poterãt cõplecti, ut esset in terris, aut supra terras certus et definitus locus delitiarũ plenus, in quo Deus primos parẽtes nostros initio collocauerit, ab hominũ cognitione remotissimus? quãuis hoc fortasse D. Ambrosij sententiæ non conueniat, qui paradisum uoluptatis allegorice tantummodo sumendum existimat.* TIM. *Ex hoc ergo illa quatuor nascũtur flumina?* NOG. *Ita est, nam id sacræ testantur literæ.* TIM. *Vbi nam gentium hunc uoluptarium paradisum positum esse censes? Nam cum iam omnis ferè terrarum orbis, nostris temporibus terra mariq; cognitus ac perspectus sit, si alicubi esset, latere diutius non posset. Nisi ipsum fortasse proxime infra Lunam (ut non*

nulli fecere) conditum esse tibi finxeris, quod sanè quàm à ratione & uerbis Moseos sit alienum, clare perspicis. NOG. Credo equidem alicubi illum esse, sed asserebant aliqui uiteteres adiri non posse, quod illuc euntibus pertransire necesse sit quasdam terræ partes nimio solis ardore incultas & inhabitabiles. TIM. Vix risum possũ continere: Annõ Lusitanorum nauigationibus iam satis exploratum est, sub æquinoctij orbe iucunde et commode & suauiter habitari? ut fertur de D. Thomæ Insula in occidentali oceano posita, quæ ad perpendiculum ei circulo subiecta est? NOG. Negabant id ferè omnes antea, credo Aristotelem secuti, qui inter binas illas reuersiones, quas singulis annis sol efficit, nec coli, nec habitari posse probauit, eoq; demonstrationis genere usus est, quod omnium exquisitissimum habetur, atq; euidentissimum. TIM. Quid tu mihi demonstrationem narras? ea profectò nec mediocris animaduersio, nec leuis admonitio dicenda est, quippe quæ id cõcludat efficiatq;, quod abhorreat ab omnium sensuũ approbatione. NOG. Reuertere iam eò, unde digressus es. Quid tu igitur paradisi uoluptarij uocabulo intelligendum putas? TIM. Nempe terram ipsam stirpibus, plantisq; uestitam, uarijs herbis & floribus exornatam, quæ nullo egeret cultu, sed spon

te sua ferret omnia, ac quæcunque ad uitam hominis erant necessaria, sua ui copiose suppeditaret. Hanc autem præstantiam siue excellentiam initio habuit terra, ob quam paradisus appellata est. Quæ quidem interpretatio Diuini Moseos orationi maxime consonat.

Plantauerat (inquit) Deus paradisum à principio, in quo posuit hominem. Hoc autem tunc fecit, cum terræ mandauit. Germinet terra herbam uirentem & facientem semen, & lignum fructiferum, faciens fructum iuxta genus suum: cuius semen in semetipso sit supra terram, & factum est ita, & protulit terra herbam uirentem & afferentem semen suum, lignum quoque faciens fructum. Hunc autem statum terra tantisper retinuit, dum homo in iustitia illa ab ortu sibi concessa (quod tamen nō diu fuit) firme pmansit, qua quidem postea q̃ mali Dæmonis suasu priuatus est, terra quoque ipsa à pristino statu diuina execratione recessit, ut deinceps non fruges non Baccas arborum sua sponte dare posset. Sed rastros, uomeres & ligones requireret, non sine hominum labore & manu. Quod sanè ex illis Dei ad Adamum uerbis satis perspicuum est.

Quia audisti uocem uxoris tuæ & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledi-

cta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore uultus tui uesceris pane tuo, & paulò post. Emisit Dominus Adamum de Paradiso, ut operaretur terram. Quare meo iudicio intelligendum est, hominem postea quàm diuina neglexit mandata, non ex alto loco in alium expulsum fuisse atq; eiectum, Sed terræ potius quam incolebat, uim & naturam fuisse mutatam, quippe quæ cum per se antea produceret omnia, mox hominis culpa factum sit, ut pastū ex sese homini fundere sine hominis procuratione nullo modo posset. Hanc autem tanto scelere dignam subijt pœnam, ut multas etiam alias calamitates acciperet. Quibus ita expositis satis perspicuum est, uerum illud esse, quòd Moses retulit, Tigrim, Euphratem, Gangem & Nilum ex eodē Paradisi fonte diffluere atq; emanare. Nam ij ex diuersis terræ partibus, quæ tota Paradisus iam erat, erumpunt, atq; easdem irrigant & madefaciunt. Verum hos quatuor tantummodo nominauit, eò quòd amœnissimi sint amnes ob multarum rerum mirabilium, quas ferunt, copiam, & propterea apud Iudaicum populum admodum uulgati & celebres. NOG. Assentirem equidem ijs, quæ nunc dicis Timothee, nisi ne id facerem, prohiberet Mo-

N.

ses ita scribens. Eiecit Adamum, & collocauit ante Paradisum uoluptatis Cherubin & flammeũ gladium, atq; uersatilem ad custodiendam uiam ligni uitæ. TIM. Recte tu quidem occuris Nogarola. Verum si quid lignum uitæ, quid Cherubin, quid flãmeus gladius ac uersatilis ostendant, explicauero, omnem difficultatem penitus auferam. Lignum igitur uitæ non modo mystice ut nonnulli, qui lignum uitæ, & uerbum Dei, & sapientiam interpretantur. Sed etiam uerè sumendum arbitror, ut lignum corporeum Dei satu ex terra ortum siue arborem fructiferam intelligamus, cuius pomis Adamus alebatur. Hæc autem arbor cuius esset generis ex Mose non colligitur. quod uero eã à Deo uirtutem accepisset, qua non solũ nutriret, uerũ etiã efficeret, ut homo ad multum ætatis tempus durare posset, ex eodem aperte percipitur, qui sic ait. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno uitæ, & comedat & uiuat in æternum, emisit eũ Dominus de Paradiso uoluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est. Hanc autem uitæ diuturnitatem, ne dicam perpetuitatem, homini ea arbor proculdubio præstitisset, si homo integer & innocens permansisset, ut uerò malum illud exitiale, quo fuerat à Deo prohibitus, comedit, nec eius imperium ueritus est, ar-

borem Deus ea ui priuauit, ne homo diutius uiueret, ac quasi immortalitatem assequeretur. Sed tamen, ut hoc uitæ lignum custodiretur, non perpetuandi amplius, sed nutriendi tantum in se uim continens, atq; ut haberet homo, unde se suumq; corpus sustineret & aleret, ante Paradisum, idest in terra posuit Cherubin & gladium flammeum atq; uersatilem. Cherubin multitudo scientiæ interpretatur & humana figura. Si exponatur primo modo, posuit Cherubin intellige multiplicem colendæ terræ scientiam menti hominis infudit, quæ quidem arandi, serendi, metendi artem & cœli obseruandi disciplinam complectitur. Si secundo modo, posuit Cherubin, idest figuram humanam & miseram hominis conditionem, ante eius oculos constituit, ut homo ipse certo sciret se pastu egere, ali tamen nullo modo posse, nisi multum curæ & laboris impendat. quod antea necesse non erat, cum ipse supra terram sponte omnia producentem, iustitia illa ab origine sibi concessa præditus degeret. Posuit quoq; gladium, idest Solem, sine cuius calore nihil gignitur, quamuis homo assiduo labore se exerceat. Dicitur aũt Sol gladius nec immeritò, eo quòd more gladij suis radijs, qui natura (ut opinatur Plato) flãmei sunt, oĩa penetrat usq; ad interiores terræ partes, in quibus excitat anhelitus, atq; ex ijs multas

res procreat, præſertim omnia metallorum genera. Verſatilis item nuncupatur, quia Sol uarijs agitatur motionibus, nam is ab occaſu in ortum proprio & ſuo fertur motu, ab inerrante autem orbe retrouiciſſim ab ortu in occaſũ conuertitur, ac modo in Aquilonẽ effertur, modo in auſtros deijcitur. ADA. Recte ſanè, quamuis τὰ πάρεργα πλείω τῶν ἔργων. *Nã quæ de Paradiſo retuliſti haud multum ad noſtrum de Nilo inſtitutum attinere uidentur. Sed tamen quoniam in Paradiſi mentionem incidiſti, quem nihil aliud eſſe niſi terram melius antea, quàm nunc affectam exiſtimas, explices uelim, ſi ita ſit, quem in locũ Enochus & Elias tuo iudicio translati fuerint. TIM. Iſtud ſanè, quod à me nunc quæris, cum ex ſacris literis nullibi pateat, facile me ad confeſſionẽ ignorationis poſſet adducere, quare quid ſentiãt alij, tantum dicam. Exiſtimat Auguſtinus locum quendam medium exiſtere, qui cœlo ſit deterior, Paradiſo autem uoluptatis præſtantior, in quem duo illi aſſumpti uiri ſint. Auguſtini uerba nõ proferã, cũ ea in libr. ix. Super geneſim ad literã unicuiq; prompta parataq; ſint. Pſellus uero in Chaldaicis præceptis Enochum et Eliam in cœlum fuiſſe ſublatos ꝓdidit, hoc inquit præceptum* περαιεῖ, ἵνα ᾖ καὶ τὸ τὸ σῶμα, ὅπερ φησὶν ὕλης σκύβαλον, περὶ θείῳ ἐνδιαπανίσωμεν, ἢ ἀπολειπτέον

τις

τες εἰς αἰθέρα κουφίσωμεν, ἢ μετεωρισθῶμεν ὑπὸ θεοῦ εἰς τόπον ἄϋλον καὶ ἀσώματον, ἢ ἐνσώματον μὲν αἰθέριον δὲ ἢ οὐράνιον, οὗ δὴ τετύχηκεν ὅτε Θεσβύτης ἠλίας καὶ πρὸ τούτου ἐνὼχ μεταθέντες ἀπὸ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς καὶ εἰς θειοτέραν λῆξιν ἀποκαταστάντες, καὶ μηδὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον ἢ τὸ ἑαυτῶν σῶμα κρημνῷ καταλιπόντες, *idest admonet, ut corpus etiam, quod excrementum materiæ esse dicunt, diuino igne absumamus, uel extenuatum in æthera subleuemus uel tollamus, à Deo in locum materia uacantem & incorporeum, aut corporeum quidem, sed ætherium aut cœlestem, quam sedem sortitus est Elias Tesbytes & ante eum Enochus, translati ab hac uita in statum diuiniorem, ut neq; excrementa materiæ uel propriũ corpus in hac ualle reliquerint. Hæc Psellus.*

A D A. Satis superq; tua fluxit & uagata est oratio Timothee. ad Nilum quæso iam redeas.

T I M. Geram tibi morem modo id Fracastoro non displiceat, quo cum in præsentia agere institui.

F R A. Mihi uero ualde placet. T I M. Nam ipse de Nili incremento ita disseruit, ut Aristoteli & Alexandro contradicere non ueritus sit.

F R A. Contra summos illos uiros fateor me dixisse. Sed non temere nec sine causa. T I M. Noui tuum istum esse morem, ut neminem unquàm redarguas, nisi ad id te ratio potissimum impellat.

FR A. Sic Plato, sic Aristoteles sic cæteri ueritatis cultores facere soliti sunt, quos pro mea uirili imitari semper studeo. TIM. Illud in primis abs te requiro, quo nam ex loco Aristotelis sententiam assumpseris de Nili incremento, quam retulisti, non enim arbitror ex eius libro sic inscripto, cum ille iniuria temporis iamdiu interierit, nec ex ulla alia ipsius commentatione. nam etiamsi de Nilo bis ad summum meminit, primo Meteororum, ubi eum amnem ex monte Argyro oriri affirmat & secundo Posterio. cum Nili utitur exemplo, quem dicit decrescente mense aquis affluere, quoniam mensis decrescens hyemi similior est, ex his tamen duobus locis nequaquàm possumus asserere, ea de Nili incremento Aristotelem censuisse, quæ tu literis prodidisti. FR A. Assumpsi id sanè quod scripsi ex Alexandri commentarijs in libros Meteorologicos. TIM. Qui nam id facere potuisti? cum Alexander librum adducat Aristotelis de Nili accretione, eius tamen opinionem nõ adducat Alexandri uerba hæc sunt ex primo Meteor. uolumine.

Ἐπιζητήσειε δ᾽ἄν τις, πῶς εἰ τὸ θέρος ξηρόν ἐστιν ὡς προείρηκε, παρ᾽ οἷς ξηρότατόν ἐστι τὸ θέρος, παρὰ τούτοις οἱ ὑετοὶ τοῦ θέρους γίνονται. ἢ αἱ μὲν ἀναθυμιάσεις καὶ αἱ τῶν νεφῶν συστάσεις, οὐκ ἐκεῖ γίνονται, ἀλλ᾽ ὑπὸ πνευμάτων τῶν ἐτησίων (ὑψηλὰ γὰρ τὰ

ἐκεῖ ὄρη ὄντα) ἀποθλιβόμεναι συνίστανται ὡς λέγει, τῆς δὲ ταχείας αὐτῶν εἰς ὕδωρ μεταβολῆς, ἡ προειρημένη ἀναθυμίασις αἰτία, ὡς λέγει ἐν τοῖς περὶ τῆς τοῦ νείλου ἀναβάσεως,

Quæ ſic conuerti, Quæritur, qui fieri poßit, cum aridam eße æſtatem dictum ſit antea, ut apud Aethiopas & Arabas per id tempus decidant pluuiæ, apud quos ſiccißimam eſſe æſtatem ſatis exploratū ſit? An quod illic non excitentur aſpirationes, nec cogantur nubes. At quæ illic conſiſtant, eas nimirum à uentis Eteſiis alio ex orbe compelli (cum in illis regionibus excelſi aſſurgant montes) notatum ſit. Hæc autem quæ prius dicta eſt, contrarij circunſtantia in cauſa eſſe cenſetur, cur nubes in pluuiā celeriter abeant, ut in eo libro Ariſtoteles tradit, quem ipſe de Nili incremento compoſuit. Hæc Alexander, in cuius cōmentarijs dictionem ἀναθυμιάσις *tollere libuit, atq; in eius locum* ἀντιπεριστάσεως *ſubſtituere, tum quod hæc in Ariſtotelis reperiatur libro, tum etiam quòd magis quàm illa propoſito conuenire uideatur. FRA. Sententiam quidem Ariſtotelis Alexander apertè nō explicuit, eam tamen ex ijs, quæ dicit facile poſſumus elicere. Nam ſi apud Aethiopas (ut Alexander ait) decidunt pluuiæ, & apud eoſdem nubes non craſſeſcunt, ſequitur pluuias, quæ fiunt ex nubibus alio ex orbe dela-*

tis causam esse, quare Nilus certo anni tempore augeatur, ac per uniuersum Aegyptum dissipetur. TIM. *Neq; istud, quod nunc dicis, ex Alexandro potes excerpere. Nam uterq; Aristoteles & Alexander de siccissima Aethiopum æstate disputat, cuius calore, quod sanè accidit contrarij circunstantia (sic enim appello ἀντιπερίστασιν) nubes celeriter labuntur in pluuiam. Verum eo tempore, etiam si imbres decidant ex nubibus uel ibi concretis, uel alio è cœlo delatis, non tamen augescit Nilus, quippe qui post solstitium, cum hyems est apud Aethiopas, apud nos autem urget æstas, maiores habere aquas consueuerit.* FRA. *Esto non dixerit Alexander, at planè dixit Strabo hanc esse Aristotelis opinionem, Nilum æstiuis imbribus augeri, quam à Thrasyalco Thasio acceperit.* TIMO. *Dicit sanè, sed subobscure, non enim qua æstate, illorum uel nostra istud eueniat, exponit: præterea neq; quibus è nubibus descendant pluuiæ, ex natiuis ne an peregrinis. Quare cum tuam istam opinionem non Aristoteli, sed Democrito, à Diodoro (ut tuus etiam refert Rhamnusius) & à Plutarcho & Galeno ascriptam uideamus, Democritum potius quàm Aristotelem meo iudicio debebas reprehendere.* FRA. *Nolui ea repetere, quæ*

explicuerat Rhamnusius. TIM. Verum hæc sanè sit, quàm tu ei tribuis, Aristotelis opinio. uidetur ne tibi merito posse repræhẽdi? FRA. Certe uidetur. Nã hoc idẽ Diodoro uisum est, qui Democritum ita sentientem redarguit. Opinabatur nanq; Democritus Nilum pluuijs augescere, quæ è nubibus gignantur flatu Etesiarũ in Aethiopiam compulsis, quam opinionem secutum esse Aristotelem censeo. At hoc (inquit Diodorus) fieri nullo modo potest, cum flare soleant Etesiæ post Caniculæ exortum, quo tempore iam amnis ille ad summã accretionem peruenit. Incipit enim augeri post solstitium, quare Etesiarum ministerio Nilus fieri maior minime poterit, atq; si hoc accidat, causam antecedat effectio, necesse est. TIM. Hanc rationem, quam ego tuam putabam, Diodori esse uideo. FRA. Ita est, nam quæ ab illo contra Democritum, eadem à me contra Aristotelem allata est. TIM. At quamobrem dum loqueris de tempore, quo spirant Etesiæ, Plinij potius authoritate quàm Aristotelis (quum hoc ex tua dignitate magis esset) tua dicta confirmare uoluisti? FRA. Hoc quidem feci, quod eadem ferè dicat Plinius, nam ab Aristotele non pauca in suos Naturalis historiæ libros transtulit. TIM. Imò uero hunc de Etesijs

locum non plenè expreßit Plinius. Sic enim ſcribit il le in ſecundo Meteororum uolumine.

Οἱ δὲ ἐτησίαι πνέουσι μετὰ τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολὴν καὶ οὔτε τηνικαῦτα ὅτε πλησιάζει μάλιστα ὁ ἥλιος, οὔτε ὅτε πόῤῥω, καὶ τὰς μὲν ἡμέρας πνέουσι, τὰς δὲ νύκτας παύονται,

Hoc eſt, ſpirant autem poſt ſolſtitium & canis exortum Eteſiæ, idq; eo tempore, cum Sol nec admodum proximus eſt, nec longe abeſt, ſpirantq; per diem, noctu autem conquieſcunt. Plinius uero libro ſecundo, poſt biduũ inquit exortus Caniculæ, ijdem Aquilones conſtantius perflant, quos Eteſias uocant. FRA. nonnulla igitur dixit Ariſtoteles, cum de Eteſiis ageret, quæ noluit Plinius conuertere. Plinius contra addidit aliqua, quæ Ariſtoteles omiſerat. In hoc tamen ambo conueniunt, quod non antea ſpirent Eteſiæ quàm exoriatur Canicula. TIM. Verum dicis, ſed quæſo mihi reſpondeas, cum Eteſiarum nomen latißime pateat atq; ad uentos tam ab ortu & occaſu, quàm à Septentrionibus flãtes pertineat, ut admonet Diodorus, cum item ornithias, qui ſpirant à meridie, imbecillos Etheſias ſecundo Meteororum appellet Ariſtoteles, quid nã prohibet, quin Eteſiarũ uocabulo etiam prodromos, qui antecedunt Eteſias, intelligamus? præſertim cũ ipſi ſpirent ab aquilonali plaga, certo & definito

anni tempore, quod si nobis detur, profectò non erit absurdum, si dixerimus Etesiarum flatu multò ante quàm Sol ingrediatur Caniculam, in Aethiopiam nubes abigi, quarum imbribus auctior reddatur Nilus. FRA. Nequaquàm hoc dici potest Timothee, nam uix octo diebus antequàm spirent ueri Etesiæ, spirant prodromi. TIM. Quis hanc rem tam diligenter obseruauit? FRA. Plinius ciuis noster, qui secundo Naturalis historiæ uolumine hoc prodidit. Ardentißimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies.xv. ante August. Calen. est, Huius exortum diebus octo fermè antecedũt, quos prodromos appellant. TIM. Quis hanc prodromorum antegreßionem tam subtiliter notatam & obseruatam nõ irrideat? FRA. Pari ratione ridere mihi liceat argutam Aristotelis diligentiam, qui septuagesimo post brumam die ornithias flare uidetur obseruaße. TIM. Aristotelem nullo modo tibi fas sit, Plinium fortaße mihi non interdictum putem. Nam illius uiri singularis doctrina omnium iam nationum & gentium consensione laudata probataq; est. Plinius autem noster tantum abest, ut omnino repræhensione careat. maior igitur Aristoteli quàm Plinio adhibenda est fides. FRA.

Quis istud neget? TIM. Credamus ergo prodromos spirare, cum glacies Solis ui in Aquilonis partibus incipit liquescere. Etesias uero, cum iam liquefacta est, quod sanè Philosophus ille nos admonuit problema. partic. uigesima sexta.

Διὰ τί ἐτησίαι ταύτην τὴν ὥραν ἀεὶ καὶ τοσοῦτοι πνέουσι, καὶ διότι ληγούσης τῆς ἡμέρας λήγουσι, καὶ τῆς νυκτὸς οὐ πνέουσιν; ἢ ὅτι μὲν, διὰ τὸ τὴν χιόνα τηκομένην παύεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου, πρὸς ἑσπέραν, καὶ τὴν νύκτα ὅλως πνέουσιν, ὅταν ὁ ἥλιος κρατεῖν καὶ λύειν ἄρξηται τὸν πρὸς βορέαν πάγον. ἀρχομένου μὲν οὖν οἱ πρόδρομοι οἱ δὲ λυομένου ἐτησίαι,

Quem quidem locum ita uertit Theodorus. Cur Etesiæ eodem tempore, atq; modo afflare semper soleant, & cur desinente die desinunt, noctuq; non spirant? An id quidem ipsum, quoniam nix liquefieri cessat à Sole, cum aduesperascit, totamq; noctem manet indomita. Omnino autem spirandi tempus tunc est, cum Sol uincere atq; resoluere glaciem ad Aquilonem positam cœpit. Cum igitur incipit, prodromi spirant, cum iam resoluta est, Etesiæ. Ex quibus quidem Aristotelis uerbis concludi facile potest, prodromos, qui etiam uocantur Etesiæ, ex alijs mundi partibus nubes in Aethiopiam deferre, quarum imbribus Nilus augescat. ij enim spirant tunc, cum gelu in Boreali regione Solis calore

incipit

incipit dissolui, quod sanè contingit (si hanc uniuersam spectes regionem) per totum Maij mensem. Flant igitur prodromi longe antea, & opportunam incrementi Nilo materiam apportant, quàm ipse soleat intumescere. Quid ais Fracastore? quid obijcis? quid opponis? FRA. Audies quid obijciã. Demus tibi istud Timothee prodromos flare, cum glacies incipit liquescere, non tamen propterea multò ante, quàm flent Etesiæ, prodromos spirare putãdũ est, ut dixi antea. TIM. An nõ alij à Septentrionibus ante prodromos & Etesias spirant uenti, qui id possint efficere. FRA. Minime. TIM. Quamobrem? FRA. Quoniam Etesiarum & prodromorũ flatum summa antecedere soleat aeris trãquillitas et quies, idq; cũ orion exoritur, quòd sanè secundo Meteoro. lib. testatur. Aristoteles, cũ ait,

Διὸ περὶ ὠρίωνος ἀνατολὴν μάλιστα γίνεται νηνεμία μέχρι τῶν ἐτησίων καὶ προδρόμων,

Hoc est quare orionis exortu aer à uento maxime silet usq; ad Etesias & prodromos. TIM. Exquiramus hunc, quem adduxisti, Aristotelis locum, & consideremus, an inter illud tempus, quo glacies liquari incipit, & id quo penitus liquefacta est, maius quàm dicat Plinius, intercedat spatium. Sed prius explices, uelim, quo anni tempore orion nascitur.

FRA. Exoriebatur iam matutinus oriõ (ut teſti monio Adamantij Sophiſtæ lib. tertio ſcribit Ae tius) xxv. Iunij die, quod ſanè confirmat Plinius; à ſolſtitio inquit ad fidiculæ occaſum, ſexto Calend. Iulias, Cæſari orion exoritur. Verum hoc accidere, cũ æſtas incipit in Proble. aſſerit his uerbis Ariſto. ὁ δ᾽ ὠρίων ἀνατέλλει μὲν ἐν ἀρχῇ ὀπώρας, quod ſonat, orion exoritur æſtatis initio. TIM. ὀπώραν tu æſtatem interpretaris? tempus malim, quo fructus proueniunt, aut autumnum, ut Theodorus tranſtulit. Verte ut lubet, nam nimis accurata nunc omittenda eſt uerborum diligentia. Orion autem no ſtris oritur temporibus, cum Sol cancrũ ingreditur, xi. Iunij die, qui primus eſt ſolſtitij dies, poſt quem nõ multo Nilus augeſcit. Quapropter cum ab orio nis exortu ad prodromorum & Eteſiarum flatum ſumma ſit aeris tranquillitas, dicere nullo modo poſſu mus prodromos antea in Aethiopiam nubes defer re, quàm Nilus augeatur. TIM. Probe dixiſti Fracaſtore, ſiquidem propriã prodromorum ſignifi cationem accepiſti, qui (ut inquit Columella) ſexto Id. Iulias flare incipiũt, uel (ut Plinius) octo diebus antea quàm ſpirent Eteſiæ. Verum ſunt & alij Se ptentrionales uẽti, quos ego prodromos appellarim; quamuis fortaſſe non proprie, ſed quadam ſimilitu-

dine, eo quod spirare prius incipiant, quàm in Aqui lonalibus regionibus glacies penitus soluta sit, ac propterea per multos eosdemq́; certos antea dies, q̃ Nilus increscat. Flant enim, seu flabant potius hi uenti Columellæ temporibus, qui Gades insulas Be ticæ prouinciæ adiacentes suum appellat municipiũ, & Neronis principatu cũ Seneca floruit. xxi. xxv. xxvi. xxvij. Maij diebus. Sic enim scribit author il le grauißimus libro suæ Agriculturæ. xij. cap. secũ do. Quarto decimo Cal. Iunij Sol in geminos introi tum facit. duodecimo Cal. Iunij succulæ exoriuntur, uenti Septentrionales, nonnunq̃ auster cum pluuia. xi. & xii. Cal. Iunias arcturus mane occidit, tempe statem significat. viij. vij. vi. Calend. Iunias capra mane oritur, Septentrionales uenti. An non ij uen ti certi, definitiq́; sunt; qui pro satis tempestiue augendo Nilo nubes in Aethiopiam possunt com pellere? quamuis nec Etesiæ, nec prodromi à Co lumella sint nuncupati? quid respõdeas Fracastore? FRA. Nihil aliud in præsentia. Sed hæc alias fortaße inter nos accuratius. TIM. Illud quoq́; se cundo loco nobis infirmãdum, tollendumq́; est, quod tantopere conaris ostendere, quod tamen aperte (ut uidisti) Alexander negat, nubes in Aethiopia gi gni poße, nec habere neceße prouinciã illam, ut alium

de ad se ferantur nubila, ex quibus imbres effluant. Dicis enim tu uapores à terra, mari, fluminibus & stagnis excitatos, generandis nubibus nunquam deficere, & diem semper diei parare aliquid & apponere, atque altissimorum montium, quorum ibi longissima est series, frigus prohibere, ne exhalationes ui Solis prius absumantur, quàm ad mediam, eandemque frigidissimam aeris regionem peruenîāt, quo quidem in loco nubes cogi satis exploratum est. Verum tunc magnam uaporum copiam in sublime efferri, quum Sol ad perpendiculum ac per longissimos solstitij dies supra Aethiopum capita commeat. quapropter augescere eo tempore cernitur Nilus. An non ego paucis complexus sum, quod tu pluribus explicasti?

FRA. Breuissime collegisti. Sed quid tu cōtra hæc mea? TIM. Illud sanè non esse uerum, exhalationes in Aethiopia, quæ frequenter ex terris & aquis sursum euolant, in nubes conuerti. Propterea quòd ne id fiat, Sol nimio suo feruore prohibeat. Hoc autem ita ostenditur. Si apud nos, qui à Cancri circulo non parum distamus, grauissimo anni tēpore & maximis caloribus paucæ, aut ferè nullæ (nisi ex alio orbe ferantur nubes) decidunt pluuiæ, eò quòd quæ hic excitantur exhalationes, Solis calore aboleantur. Quanto magis apud Aethiopas, quo-

rum regio inter utranq; Capricorni & Cancri re-
uersionem posita est, nullas ex concretis illic nubibus
oriri pluuias censendum est. Præterea in terra Ae-
gypto rarissime aut ferè nunq̃ imbres decidunt, quam
uis nubilosum & roscidum ex Nilo flumine pro-
uinciæ illius esse aerem, atq; ob id flores ibi minime
odoratos percipi conterraneus noster scribat Pli-
nius. quod sanè nulla alia de causa euenit, nisi quod
Aegypti regio calida admodum sit. Quare cũ ter
ra Aethiopia omnibus mundi partibus feruentior
sit, profectò uapores ex se ipsa excitatos in sublimem
aeris regionem non transmittet, qui in nubes primo,
deinde in pluuias conuerti possint, sed eosdem Sol
prius dissoluet, ac dissipabit. FRA. Istud quidem,
quod tu dicis Timothee, proculdubio accideret, nisi
frigus montium, qui in Aethiopia maximi frigidissi
miq; sunt, uaporũ dissolutionem prohiberet, quod sa-
nè eo actionis genere fieri, quæ dicitur ἀντιπερίστασις
perspicuum est. TIM. Contrarij ergo circunstã
tia (Hoc enim iam pro antiperistasi uerbum teneo)
montes id effici non permittunt? FRA. Ita est.
TIM. Hoc si uerum sit, illico sequitur, calorem,
quo tollitur exhalatio, si frigus montium circumstet,
maiorem effici, quàm antea. FRA. Imò uero mi
norem, nam illi frigoris quippiam admiscetur, quo ni-

mio Solis calori possit obsistere & repugnare, ne in nihilũ redigatur. TIM. *Verecunde equidem Fracastore, sed tamen dicam.* FRA. *Dic fidenter Timothee, nam ego hodie refelli paratus sum, fortasse alias refellere.* TIM. *Opinor illud peripateticum esse decretum. cum calor frigus circunstat, frigus effici maius ac ualentius. Et retrouicissim cum frigus calorem, caloris uim augeri & crescere, quod sanè cum ex alijs sumitur Aristotelis commentationibus, tum maxime ex primo Meteororum uolumine, ubi hæc sunt uerba.*

Ἀλλ' ἐπειδὴ ὁρῶμεν ὅτι γίγνεται ἀντιπερίστασις τῷ θερμῷ καὶ τῷ ψυχρῷ, ἀλλήλοις (διὸ ἔν τε τοῖς ἀλέαις, ψυχρὰ τὰ κάτω τῆς γῆς καὶ ἀλεεινὰ ἐν τοῖς πάγοις) τοῦτο δεῖ νομίζειν καὶ ἐν τῷ ἄνω γίνεσθαι τόπῳ. ὥστ' ἐν ταῖς ἀλεεινοτέραις ὥραις ἀντιπεριστάμενον εἴσω τὸ ψυχρὸν, διὰ τὴν κύκλῳ θερμότητα, ὁτὲ μὲν ταχὺ ὕδωρ ἐκ τοῦ νέφους ποιεῖ, ὁτὲ δὲ χάλαζαν,

Quem quidem locum ita conuerti.

At quoniam mutuam caloris & frigoris circunstãtiam fieri cernimus, propterea quæ sub terris sunt, calore frigida, gelu tepida redduntur. Hanc eandẽ summò in loco accidere putandum est. quapropter temporibus clementioribus frigus intus cohibitũ atq; constrictum, ui circumfusi caloris, modo ex nube celeriter aquam exprimit, modo grandinem format.

Hæc Philosophus.

Hanc autem, quam dixi ἀντιπεριστάσεως *esse naturam, Aristotelis sententia satis ostensum est. Ex quo quidem concludere facile possumus, uaporem illum excitatum, qui calidus sit (nam si secus, ferri sursum non posset) montium frigore feruentiorem reddi, ac deinceps aut mutatum iri in ignem, aut in rorem dilapsurum. quare nequaquam se in nubem induet, quæ uertatur in pluuiam. Huius autem disiunctionis prima pars probatu facilis est. Si exhalatio frigoris circunstantia maiorem uim accipiat caloris quàm sua patiatur natura (ea autem humorem sibi admistum requirit) in suo pristino statu permanere non poterit, ergo in aliquod aliud mutabitur, quod sanè erit aut ignis, aut ignea constitutio. Secunda uero ex primo Meteoro. libro accepta est, in quo rorem demonstrans Aristoteles Aquilonijs temporibus, non austrinis in ponto gigni posse, ita scribit.*

γίνεται δὲ ἡ δρόσος πανταχοῦ νοτίοις, οὐ βορείοις, πλὴν ἐν τῷ πόντῳ. ἐκεῖ δὲ τοὐναντίον, βορείοις μὲν γὰρ γίγνεται, νοτίοις δὲ οὐ γίγνεται. αἴτιον δ᾽ ὁμοίως, ὅτι ὥσπερ εὐδίας μὲν γίγνεται, χειμῶνος δ᾽ οὔ. ὁ μὲν γὰρ νότος εὐδίαν ποιεῖ. ὁ δὲ βορέας χειμῶνα, ψυχρὸς γάρ. ὥστ᾽ ἐκ τοῦ χειμῶνος, τῆς ἀναθυμιάσεως σβεννύσι τὴν θερμότητα. ἐν δὲ τῷ πόντῳ ὁ μὲν νότος οὐχ οὕτως ποιεῖ εὐδίαν. ὥστε γίγνεσθαι ἀτμίδα. ὁ δὲ βορέας διὰ τὴν ψυχρότητα ἀντιπεριϊστὰς,

τὸ θερμὸν ἀθροίζει. ὥστε πλεῖον ἀτμίζειν μᾶλλον, idest.

Prouenit ros ubique austrinis non Aquilonijs temporibus, præterquam in ponto, ubi res contra se habet, nam flante Aquilone gignitur, austro non gignitur, causa pari modo reddenda est, quamobrem, ut sereno tẽpore ita nec hyberno gigni solet. Notus enim cœli tẽperiẽ affert, Boreas cũ frigidus sit, hyemem efficit. Quare dum hyemat, aspirationis calorem extinguit. Verum auster in ponto non adeo mitis, ut per eam uapor effici possit. At circunstans Boreas suo frigore calorem colligit, ut magis copiosus reddatur uapor. Atqui cum in Aethiopia constet rores non gigni, uapores illi conuertantur in ignem, aut in aliud quod ei proximum necesse est. An non ego tibi uideor, dum tua refello, necessaria Mathematicorum demonstratione uti? FRA. Non certe, atque hoc aliàs tibi ostendam. Sed quid nam aliud superest cõfutandum? TIM. Id sanè, quod abs te ultimo loco dictum est, Solem maiorem exhalationum copiam, qua Nilus augetur, excitare, cum longiori temporis spatio supra Aethiopum fertur capita, idque tunc accidere, cum ipse in Cancri signo consistens lõgissimos efficit dies. FRA. An tu hæc nõ probas? TIM. Nequaquam Fracastore, non enim animo possum concipere, qui nam apud Aethiopas Sole

Can-

Cancrum obsidente longissimi sint dies, cum illic non plures horas, quàm tresdecim contineant. quod sanè & Strabo, & Plinius autumant. Sic enim ciuis noster libro secundo in Meroe longissimus dies. xij. horas æquinoctiales, & octo partes unius horæ colligit. Alexandriæ uero. xiiij. horas. Qui igitur in Aethiopia longissimi erunt dies, cum Sol cancrum occupabit? non negarim tamen, ultra Lunæ montes & promontorium bonæ spei maximos proculdubio esse dies, ubi in Capricorni signo uersatur. Adde quòd supra Syenem oppidum, si ita sit, ut dicis, magni decidant imbres necesse est. Nam illi loco adeo solstitij die medio Sol supra uerticem positus est, ut nullæ iaciantur umbræ, puteusq; eius experimẽti gratia factus (ut ait Plinius) totus illuminetur. Ex quo illud Lucani, atq; umbras nunquàm flectente Syene. Quapropter nulla erit ratio, cur in reliqua pluat Aethiopia. Est enim Syene Aegypti atq; Aethiopiæ terminus. ex quo apparet ultra Syenem Nilum non augeri, quod tamen falsum est, ut complures affirmant. Præterea nec in Aegypto unquã pluet, quod quidem non esse uerum satis compertũ est. Nã cum ea regio calidissima sit, & montibus careat, profectò nullum omnino uetabit frigus, quin uapores in sublime elati, ui Solis prius absumantur, quã in nubes,

imbresq; consistant. Quod si nubes (ut nos opinamur) illuc ex Aquilonali orbe deferātur, facile eueniet, ut quandoq; (id enim rarissime fit) in Aegypto labantur pluuiæ, quarum causa, uaria incolis nascuntur morborum genera. Censeo itaq; (ut omnia summatim colligam) nullā posse in Aethiopia exhalationem tolli, quæ cum mediam aeris regionem attigerit, in nubem primo, postea in imbrem cogatur. Nā neq; illic quàm apud nos productior est dies, nec altissimorum montium, qui circunstant, prohibet frigus, ne uapores siue ex summa, siue ex ima terra sublati, nimio solis ardore consumantur. FR A. Verum, censes ne tu posse in Aethiopia niues cōcrescere? TIM. Opinor equidem, quāuis aduersariū habeamus Diodorum, qui ne illic congregentur nubes, nimio Solis æstu prohiberi autumat. Nam qui Aethiopiæ mōtes niuibus aspersos suis uiderūt oculis, id nobis retulerunt, & literis mandarunt. FR A. Hoc idem etiamsi nauigationibus & itineribus satis compertū est, ratione tamen probare conatus sum. TIM. Perspexi omnia. Sed uere dicam, in ea probatione nimius fuisse mihi uisus es. FR A. Quid nimius? Equidem ea tantum attigi, quæ flagitabat necessitas. TIM. Breui rem poteras ad hunc modum explicare. cū nubes cogantur in Aethiopia, atq; ibi binæ

hyemes & binæ pariter æstates fiant, profectò niues in montibus illis altißimis & frigidißimis, cum hyems sæuit, cadere necesse est. F R A. *Dixi ego hæc eadem, atq; illud addidi, tria illa, quæ consistunt frigore, pluuiam, niuem, & grandinem, tum inter se conuenire, tum etiam differre. Conueniunt enim, quòd ex eadem materia, quæ est uapor, omnes oriantur, Sed ui frigoris discrepant; Nam etiamsi magnam frigoris copiam, si fieri debeat, requirit pluuia, maiorem tamen nix, ac longe maiorē adhuc grando desiderat.* N B.
T I M. *Si de prima ac remota loquaris materia, sanè quod dicis uerum est, Harum trium concretionū materiam, uaporem existere, si de proxima, falsum uidetur esse. Nam pluuia ex frigescente quidem halitu proxime efficitur, Nix uero non ex coagulato uapore, (ut tu scriptum reliquisti) ex eo.n. ita affecto pruina exoritur, sed ex coagulata nube gigni solet. Siquidem nubes concretæ frigore cum sese mutuo cōcutiunt, et atterunt niuem prius edunt, q̄ in imbrem liquescant. quam quidē rem in libro de Mundo, (si modo ei uere ascriptus sit) his uerbis expreßit Arist.*

χιὼν δὲ γίνεται, κατὰ νεφῶν πεπυγνωμένων ἀποθραυσιν πρὸ τῆς εἰς ὕδωρ μεταβολῆς ἀνακοπέντων. ἐργάζεται δὲ ἡ μὲν κοπὴ τὸ ἀφρῶδες καὶ λευκὸν. ἡ δὲ σύμπηξις τοῦ ἐνόντος ὑγροῦ, τὴν ψυχρότητα, οὔπω χυθέντος, οὐδὲ ἠραιωμένου. σφοδρὰ δὲ αὕτη καὶ ἀθρόα κα-

παφερομένη, νιφετὸς ὠνόμασται.

Quæ quidem uerba tametsi Latina fecit Apuleius Madauriensis, eadem tamen ego meo arbitratu conuertere non ueritus sum.

Nix oritur densatarum nubium attritu atq; cõflictu, qui prius efficitur, quàm illæ in aquam mutetur. Hic autem concussus spumam gignit & candorem. Verũ huiusmodi humoris inclusi concretio, qui nõdum effusus, nec rarefactus est, frigus inducit. Nix cum uehementer & confertim decidit, νιφετὸς *nuncupatur. Ex quo quidem loco aperte colligitur, Niuem esse spumam, quod ipsemet etiam asserit libro secundo de Ortu animalium. Aristotelis quoq; interpres et explanator Plinius lib. xvij. niuem uocauit spumam aquarum cœlestium, ubi aquarũ nomine nubes intelligere par est, quippe quæ plurimũ conuerti in aquas soleãt. Præterea nec illa tria esse eadem Aristoteles unquàm prodidit. Niuem tamen & pruinam, rorem item & pluuiam re conuenire, copia uero & paucitate differre, ac nihil omnino reperiri, quod grandini proportione respondeat, nos admonuit. FRA. Mirabar, nisi tu paulũ ad Sophistas diuerteres, materiam distinguens in remotam & proximã. TIM. Vera profectò sunt quæ nunc dissero, nec ea à Sophistis mutuatus sum, sed ex diuinis Aristotelis*

commentationibus prorsus excerpsi. FR. A. Sit sanè. at tu quid nam de eo, quod modo dixi, maiorem frigoris uim gignendæ grãdini, quàm niui necessariã esse? TIM. Istud quidem mihi satis dubium controuersumq; est. Nam si ego te sic angustè & breuiter urgeam, quo nam modo elabi poßis? Quod in ortu suo frigidum anni tempus & locũ frigidum requirit, id maiorem frigoris copiam uidetur expetere, q̃ quòd nec locũ frigidũ, nec tempus postulat. Atqui horum utrunq; nix desiderat, copiosioris igitur frigoris nix indiget q̃ grando. Verũ quod loci pariter et temporis rigorem requirat nix, ut gigni poßit, grãdo aũt non requirat, quanq̃ sensu usuq; perceptũ est, id tamẽ quasi occultũ quoddam docere nos Aristote. uoluit Meteo. lib. prĩo. cũ de niue pruinaq; disseruit.

ὁμοίως δὲ καὶ πάχνη καὶ χιών, ὅταν γὰρ παγῇ τὸ νέφος, χιών ἐστιν, ὅταν δὲ ἡ ἀτμὶς, πάχνη. ἢ ὥρας, ἢ χώρας σημεῖόν ἐστι ψυχρᾶς. οὐ γὰρ ἂν ἐπηγνύετο ἔτι πολλῆς ἐνούσης θερμότητος, εἰ μὴ ἐπικρατοίη τὸ ψύχος, *Quod est,*

Pruinæ autem & niuis eadem ratio est. nam cũ gelu nubes astringitur, nix, cum uapor concrescit, pruina oritur. Quapropter uel frigidi temporis, uel loci inditium est. non enim cum plurimo adhuc teneantur calore, concrescerent, nisi uis frigoris exuperaret. At grando nec locum nec tempus frigidũ expetit,

ut eodem in loco testatur Aristoteles.

Αἱ δὲ χάλαζαι γίνονται ἔαρος μὲν καὶ μετοπώρου μάλιστα, εἶτα καὶ τῆς ὀπώρας. χειμῶνος δὲ ὀλιγάκις, καὶ ὅταν ἧττον ᾖ ψῦχος. καὶ ὅλως δὲ γίνονται χάλαζαι μὲν ἐν τοῖς εὐδιεινοτέροις τόποις. χιόνες δὲ ἐν τοῖς ψυχροτέροις.

Ideſt grandines uere potiſſimum & autumno, mox etiam eo tempore, quod inter æſtatem & autumnũ medium eſt, fieri ſolent, rarò hyeme & id quidem, cũ minor uis eſt frigoris. Omnino grandines in clementioribus locis, in frigidioribus uero concreſcũt niues, quid reſpondeas Fracaſtore? FRA. Nihil nunc quidem. TIM. Cætera, quæ de niue dixiſti, ulterius non perſequar, ne ego quoq; in hac re ſubtiliter exquirenda, (quod tibi obieci antea) nimius eſſe uidear. FRA. Verum putas'ne illud poſſe defendi, Nilum, ad cuius incrementum nũc reuertor liquatis niuibus excreſcere? id quod Abyſſinos populos firme tenere ſcribit Paulus Iouius Epiſcopus Nucerinus diligens ille rerum uenator libro ſuæ Hyſtoriæ xviij. Abiſſini (inquit) hoc unũ pro conſtanti certis coniecturis perſuaſum habent, Nilum è liquatis niuibus quotannis augeri, & pro ratione frigoris & caloris, prout natura indulſit & imperauit, in uarias exundationes excreſcere, quũ non inepta ratione credant ſub circulo Capricorni maximis caloribus eam

plagam urgeri atq; exuri, hæc Iouius. TIM. Hãc opinionẽ Anaxagoras, & auditor eius Euripides lõge antea ſecuti sũt. Hic.n.poeta ſic philoſophatur.

Nilum excreſcere,

Aegypti quum liquantur niues.

Eam tamen Diodorus refellit eò fretus argumẽto, quòd propter nimium Solis feruorem niues in Aethiopia non gignantur; quod tamen ꝙ ſit falſum, uſu ſatis conſtat, & tu quoq; probaſti Fracaſtore. quã uis in hoc à te diſſentio, quòd ego ex nubibus aliunde compulſis, tu uero ex eiſdem in Aethiopia coactis fieri niues exiſtimas. Verum cum dicat Iouius ratione nõ inepta Abyßinos credere ſub Capricorni ſigno maximis caloribus eam plagam urgeri atq; exuri, non poſſum de Abyßinis qui id retulerunt, non mirari, quippe qui ſeſcire dißimulent in ea Aethiopiæ parte, per quam labitur Nilus, hyemem eſſe cum Sol in Capricorni ſigno uerſatur quemadmodũ & cum Cancrũ occupat, Nam apud illos Aethiopas (ut dixi antea) duæ ſunt hyemes. Quare tunc niues non poſſunt liqueſcere. Sed demus eo tempore niues liquefieri, non tamen tunc augetur Nilus, ſed poſt ſolſtitium, quando uidelicet nobis æſtas, illic uero adeſt hyems. Niſi forte ſuſpicẽtur Abyßini aquas è niuibus collectas alicubi per æſtatem aſſeruari,

(quemadmodum in lagenis uinum) quibus ſequenti hyeme Nilus exuperat; quo quid ineptius? quid abſurdius? Iam uero nec niues illæ, quæ ſub Capricorni ſigno quotannis liqueſcunt, ad augendum Nilum conferre quippiam poſſunt, cum Capricorni reuerſio à Nili fontibus plus quindecim gradibus longe diſtet, atq; inter hos fontes & illam Lunæ, ſiue (ut aiunt) Bet, montes interiecti ſint. quare magis credibile eſt aquas illarum niuum in Oceanum meridianũ, q̃ in Nilum influere. FRA. An tu Iouio contradicere auſis, quẽ honoris cauſa nominare ſemper debeas. TIM. Abyſsinis, ut qui ſua neſciant, contradico non Iouio, quamuis etſi Iouio contradicam, non magnum facere facinus mihi uidear. Non enim ei uulnera et plagas infligo ſi hominem repræhendo, cum hoc ſit humano generi peculiare et proprium errare & decipi. Si Plato & Ariſtoteles philoſophorum coryphæi in multa rerum ignoratione uerſari cenſentur, atq; ob id à compluribus cõtumelioſiſsime uexantur, quid nos reliqui homũtiones? FRA. Ita profectò eſt. Sed noſti, q̃ ſui unuſquiſq; noſtrũ diligens ſit, quod ſanè uitium φιλαυτία à Græcis dicitur, maxima hominum peſtis ac pernities, à qua quidem, mala omnia proficiſci ſatis perſpicuũ eſt. Quapropter nemo homo eſt, qui grauiter non ferat, ſi con

tra

NB.

tra ſeipſum dici ſentiat. TIM. An tu grauiter tuli ſti Fracaſtore? cum Iouius & te & Rhamnuſium tuum oſtentatores & ambitioſos nuncupauit, qui de Nili incremento agere atq; eius reddere cauſas non dubitaſtis? Ita.n. ille ibidem uos notauit ſuppreſſo ue ſtro nomine. Cæterum de Nili incrementis ad ſubti lium ſtudiorum oſtentationem diſſerere & proferre cauſas audere per ambitioſum putauerim. Quando hoc, illuſtriũ & græcorum pariter & latinorum in genia inani (ut arbitror) laude iandiu exercuerit. Quæ quidem uerba nequaꝗ (ut opinor) effutiſſet Io uius, niſi libellos ueſtros perlegiſset: haud enim me latet bonorum librorum, quales ueſtri proculdubio ſunt, ꝗ magnus helluo eſſe ſoleat. FRA. Illud non aduerteram Timothee, quamuis illius hiſtoriam penè totam uorauerim: Scribam igitur ad eum, cum dabitur otium, meq; & Rhamnuſium meum tueri co nabor. Interim illũ permittamus hiſtoriam more ſuo & modo ſcribere; ac res geſtas noſtrorum tempo rum literis commendare. At tu abſolue iam quæſo, & perfice quæ cæpiſti. TIM. Ita faciam. Illud poſtremo mihi ſupereſt pluribus explicandũ, quod tu leuiter attigiſti. Nilum quidem nullis imbribus auge ſcere, ſed aquis potius, quæ ex inferioribus terræ par tibus ſcaturiunt, maiorem effici, id quod ſentire in

Timaeo, uidetur Plato, cuius haec sunt uerba.

Ἡμῖν δὲ ὁ νεῖλος εἴς τε τ᾽ἄλλα σωτὴρ, καὶ τότε ἐκ ταύτης τῆς ἀπορίας σώζει λυόμενος. ὅταν δ᾽ αὖ οἱ θεοὶ τὴν γῆν ὕδασι καθαίροντες κατακλύζωσιν, οἱ μὲν ἐν τοῖς ὄρεσι διασώζονται, βουκόλοι, νομεῖς τε. οἱ δ᾽ ἐν ταῖς παρ᾽ ὑμῖν πόλεσιν, εἰς τὴν θάλατταν ὑπὸ τῶν ποταμῶν φέρονται, κατὰ δὲ τήνδε τὴν χώραν, οὔτε τότε οὔτε ἄλλοτε ἄνωθεν ἐπὶ τὰς ἀρούρας ὕδωρ ἐπιρρεῖ. τὸ δ᾽ ἐναντίον, κάτωθεν ἐπανιέναι πέφυκεν, ὅθεν καὶ δι᾽ ἃς αἰτίας τ᾽ἐνθάδε σωζόμενα λέγεται παλαιότατα.

Quae ita latine sonant. Nobis autem Nilus cũ alijs in rebus salutaris, tum etiam ab hac calamitate nos seruat & liberat. Verum cum Dij terram eluuionibus purgant, Pastores ouium & Bubulci in montibus degunt incolumes. At qui uestras Ciuitates incolunt, cursu fluminum ad maria rapiuntur. in hac autem regione neq; hoc neq; alio tempore aqua de coelo in agros delabitur. Sed contra potius ex inferioribus terrae partibus ascendit, quam ob causam res antiquae apud nos cõseruantur. Quem Platonis locum exponens Proclus Lycius, hanc, quam nunc probo, opinionem, Porphyrij testimonio, quondam fuisse Aegyptiorum, affirmat his uerbis.

NB.

Εἰ καὶ γίγνοιτό ποτε ὄμβρος περὶ τὴν αἴγυπτον, ἀλλ᾽ οὐ περὶ πᾶσαν, ἀλλὰ περὶ τὴν κάτω γίγνεσθαι εἰώθασιν. αὕτη δὲ ἐπίδηλός ἐστιν ἔργον οὖσα τοῦ ποταμοῦ, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης. ἡ δὲ ἄνω ταῖς τοι-

αὐτὰς ἐπιῤῥοὰς οὐ δέχεται. πόθεν οὖν ὁ Νεῖλος ἐπάνεισι; Πορφύ-
ριος μὲν δή φησιν, ὅτι δόξα ἦν παλαιὰ Αἰγυπτίων τὸ ὕδωρ κάτω-
θεν ἀναβλυστάνειν τῇ ἀναβάσει τοῦ Νείλου. διὸ καὶ ὑδρῶτα τῆς
γῆς ἐκάλουν τὸν Νεῖλον, καὶ τὸ ἐπανιέναι κάτωθεν, ταυτὸ τῷ Αἰ-
γυπτίῳ δηλοῦν καὶ τὸ σώζειν λυόμενον. οὐχ ὅτι ἡ χιὼν λυομένη, τὸ
πλῆθος τῶν ὑδάτων ποιεῖ, ἀλλ' ὅτι λύεται ἀπὸ τῶν ἑαυτοῦ πηγῶν,
καὶ πρόεισιν εἰς τὸ ἐμφανὲς ἐπεχόμενος πρότερον.

Quod est Aegyptus quanq; imbres interdum, non tamen uniuersa habere consueuit, sed ea tantum, quæ inferior dicitur. Hanc uero regionem (ut Aristo teles aßerit primo Meteor.) opus atq; effectionem Nili existere satis constat in superiorem aũt non de fluũt pluuiæ. qua igitur ex causa ĩcrescit Nilus? Ni mirum fatetur Porphyrius hanc fuiße ueterem Ae gyptiorũ sententiam inferne aquas emitti, quibus Ni lus augeatur, ac propterea amnem illum terræ sudo rem ab Aegyptijs nuncupatum. Nam illud inferne ascendere, ac seruare quod dißoluitur, quæ quidem Aegyptij sacerdotis sunt uerba, idem omnino signifi cant, non tamẽ intelligitur, quod dissoluatur nix, quæ magnam aquæ efficiat copiam. Sed quod Nilus ex suis soluatur fontibus, qui antea conclusus erat, atq; cohibitus. Hæc Proclus. FRA. Quid tu igitur mihi Platonem adducis, cum eam eße Aegyptiorũ opinionẽ Porphyrius asserat? TIM. Plato ipsam

recitat, uel potius referentem inducit Aegyptium, nec illam refellit. eandem itaq; Platonem secutũ su spicari facilè possumus. FRA. Quonam modo istud conijcis? cum de Nili incremento nullibi Plato locutus sit, quin potius ter ad summum Nili meminit, nec tamen affert quippiam, quod ad hanc sententiam attinere uideatur. quod tum maxime in Timæo debebat facere, cum quandam narrauit esse Aegypti regionem Delta nomine, propè cuius uerticẽ scinditur Nilus, ubi Saitica sunt pascua. TIM. Abũde huic rei eo in loco satisfecit Plato, quem modo retuli. Nam si in Aegypto aquis pluuijs non crescunt flumina, sed illis, quæ è terra scaturiunt; Nilus autẽ augescit, nec ullam suis accolis calamitatem importat, quemadmodum reliqui amnes aliarum prouinciarum. Ergo & ipse scaturientibus aquis augebitur. FRA. Verum est, sed istud, quod dicis, Socratis persona non agit Plato, uerum Solonis, qui sacerdotis Aegyptij sermonem recenset. TIM. Vide ꝙ minime sim pertinax in disputando. Do tibi istud, hanc non esse Platonis sententiam. At habebo saltem hanc eandem Aegyptijs adscribendam, quibus etiam cũ melius sua scire, quàm alios uerisimile sit, magis esse credendũ existimauerim. FRA. Quasi uero desint, qui scribãt Aegyptios de hac re aliter sen

ſiſſe. Nã tradit Eudoxus (ut teſtatur Plutarchus) eoſdem Nilotici incrementi cauſam in aquas pluuias referre ſolitos. T I M. neq; ego pariter de Aegyptiorum opinione tecum contendam, concedas tamen uelim, ut hanc primũ mihi nunc fingam, & meam eſſe affirmem, ac mox inter nos exquirẽdam proponam. F R A. Fiat ut lubet, age, tua ſit. Sed primũ mihi reſponde. unde nam tanta è terræ cauernis aquarũ copia, præſertim in ardentiſſima terrarum orbis regione? à qua nam effectrice extrahitur cauſa? atque id cur magis, cum illi adeſt hyems, ꝙ cum æſtas uiget? T I M. Rem tibi omnem expediam. Principio id ſcire nos oportet (quod tu tamen non ignoras) duplex eſſe exhalationum genus, alterum calidũ & ſiccum, alterum calidum & humidũ, quorum utrunq; ut ſupra terras, ita ſub terris ui ſolis in ſublime ferri ſatis conſtat. Ex quibus quidem ſublatis cum illæ ferè omnes gignantur affectiones, de quibus diſſeritur in libris Meteorologicis, eos non temere de ſublimibus inſcriptos arbitror. Siccum omittamus in præſentia, de humido tantum agamus. Nam hoc genus, aquæ illius eſt materia, cuius ui, Nilus ſingulis annis ſolet increſcere. Illud uero huic accretioni nihil confert, niſi humorem dixerimus ſiccitati, & ſiccitatem humori admiſtam ſemper eſſe, ſed halitus ipſos exuperan

tia inter se differre. Hæc igitur humida exhalatio, quæ quidem Nilo incrementũ affert, ex multa humorum oritur copia, in terræ uisceribus, ac potissimum in altissimis & frigidissimis Aethiopiæ montibus contenta; quam quidem exhalationem tunc maxime & abunde Sol excitat, cum supra Lunæ montes constitutus potentior ualentiorq; est, atq; illi regioni æstatem efficit. Nec uero hunc halitũ ad summam terræ partem educit, sed is potius & suo & terræ frigore quoad eius fieri potest, Solis calori repugnat, ac resistit, ne foras extractus penitus absumatur. At cum inde recedit Sol, & ad Septentriones cursum inflectit, tota illa exhalationum copia in aquam conuertitur, quæ è terra statim prosilit. Hic enim Solis est mos, ac consuetudo, ut cũ alicui terræ appropinquat parti, suo calore tàm supra terram, quàm sub terra pro ratione regionum uapores & exhalationes eliciat, ac quanto magis ad perpendiculum consistit, tanto magis sub terra id efficiat. quamuis uapores tunc cum Sol uiget, aeris, non aquæ naturam & formam retineant. At cum idem longinquo abscessu se remouet, ij tum terræ, tum etiam aeris obrigescunt frigore, quapropter facile in aquam abeunt, cuius cũ magna uis in Aethiopia efficiatur, Nilum quoq; plurimum increscere statis & certis diebus, cum illæ uaporũ

mutationes ratæ definitæq́; sint, necesse est. Verum hoc; quod modo de exhalationibus retuli, Solis appulsu & abscessu fieri, iampridem Aristoteles nobis exposuit Meteororum libro primo.

πλησίον μὲν γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου ὁ τῆς ἀτμίδος ἄνω ῥεῖ ποταμὸς, ἀφισταμένου δὲ, ὁ τοῦ ὕδατος κάτω, καὶ τοῦτο ἐνδελεχὲς γίγνεσθαι κατὰ τὴν τάξιν,

Quod est, nam ut Solis accessu uaporis fluuius sursum ascendit, ita eiusdem digressu aquæ amnis in terram recidit, idq́; continenti quodam ordine fieri satis apparet.

In secundo quoq; eiusdem commentationis, capite de uentis.

φερομένου δὴ τοῦ ἡλίου κύκλῳ, καὶ ὅταν μὲν πλησιάζει τῇ θερμότητι ἀνάγοντος τὸ ὑγρόν. πορρωτέρω δὲ γιγνομένου διὰ τὴν ψύξιν συνισταμένης πάλιν τῆς ἀτμίδος εἰς ὕδωρ,

Hoc est, cum igitur Sol in orbem feratur & suo accessu calefaciens humorem excitet, & longinquo abscessu frigefaciens uaporem rursum in aquam cogat. Verum quod supra terram accidit, idem quoq; sub terris euenire Aristoteles prodit Meteoro. libro tertio, ubi de metallis disputat.

Quapropter summa aquæ copia ex illis Aethiopiæ montibus, quorũ ibi magna est congeries, effluit, qua Nilus augescit. Sol itaq; (ut breui repetã quæ dixi)

ad meridiem declinans Aethiopiam supra quam fertur ad perpendiculum sic adurit & torret, ut vapores, qui in ea sunt, propè summam terræ partem trahat, atq; adducat. quamuis aeris uim & naturam conseruet; At quum iam inde ad nos peruenit, & cancri signum occupat, pars illa terræ riget ac frigescit. Ita fit, ut uapores intra terram contenti reddantur frigidi, & in aquam dilabantur, cuius cum magna sit copia: eo quòd plurimam illorum uim Sol attraxerit, abunde augeatur Nilus necesse est. FRA. Si uera hæc sint Timothee, quæ tu tam longa oratione nobis explicasti, quid nã causæ est, cur bis singulis annis Nilus nõ increscat? Nã Sol bis propinquat Aethiopiæ, cum Arietem & libram ingreditur, ac uapores sub terra excitat. Bis quoq; ab eadem recedit, modo ad meridiem, modo ad Septentriones cursum inflectens, quo tempore eosdem halitus, qui sub terra aeris uim & speciem seruant, in aquam cõuertit. TIM. Profectò quod dicis Fracastore (ut arbitror) contingeret, si Capricorni & Cancri reuersiones pari interuallo à Nili fontibus distarent. Sed res aliter se habet. Nam hoc signum .xxxv. illud uero .xv. tantum gradibus ab eodem loco remota sunt. Quare Sol à Capricorno recedens, ad Nili fontes antea peruenit, quàm excitati illi proxima æstate uapores in

aquam

aquam conuertantur. cum uero Cancri occupauit signum non prius tàm longam potest uiam conficere, atq; inde ad eosdem fontes reuerti, q̃ mutatis in aquã uaporibus Nilus creuerit ac decreuerit. FRA. Sed perge, quod cœpisti. TIM. Ita faciam. cæterum tantam Nili fieri accretionem aquis potissimum è terra erumpentibus, id argumento esse potest, quòd hic amnis plurimum limi secum ferat. quod alijs fluminibus nõ admodum euenit, quæ aquis pluuijs increscunt. id autem cœni, aquæ è terra prosilientes secum trahunt, & Nilo admiscent, qui recedens (ut inquit Cicero) emollitos & oblimatos Aegypti agros ad serendum relinquit. quo factum est, ut uniuersa ferè Aegyptus aggestitia quædam terra sit, & Nili amnis opus (ut ait Aristoteles) habeatur. Hæc autem regio, cum parua antea esset atq; exigua, ab antiquis appellabatur Thebæ, quod & Homerus indicat. NOG. Caue ne suspiceris Timothee istud Homero Aristotelem tribuere, nõ.n.id fecisse poetam comperies. Nam etiamsi quarto Odyss. Thebas Aegyptias nominauerit, nunq̃ tamen Aegyptum nuncupauit Thebarum nomine, id quod fecit Herodotus in Euterpe, sic enim ait. Ideo olim Thebe Aegyptus appellabatur, cuius circuitus est stadiorum sex millium.cxx. quare si mihi liceat, dictionem

illam, Homerus delerem, & Herodotus reponerẽ. TIM. Ne quæso id facias sobrine, quamuis Bernardinus ille noster Donatus uir græcæ & latinæ linguæ eruditissimus, istud facere ausus sit, cuius iam mortui nomine, non modo Cyanum uestrum (nam in eo amænissimo rure natus est) sed etiam Verona uniuersa tãtopere gloriatur. Non.n.ostendisse Homerum Aegyptum Thebas uocitatam Aristoteles autumat, (ut ego fortasse adducens Aristotelem asserere tibi uisus sum) sed potius maiorem eius regionis partem Nili inuectu fuisse exortam; qui ita scribit Meteororum libro primo.

Καὶ τὸ ἀρχαῖον ἡ αἴγυπτος Θῆβαι καλούμεναι. δηλοῖ δὲ καὶ ὅμηρος, οὕτω πρόσφατος ὢν ὡς εἰπεῖν πρὸς τὰς τοιαύτας μεταβολάς, ἐκείνου γὰρ τοῦ τόπου ποιεῖται μνείαν. ὡς οὔπω μέμφιδος οὔσης, ἢ ὅλως, ἢ οὐ τηλικαύτης,

Idest, quin etiam Aegyptus apud ueteres appellabatur Thebæ, quod & Homerus indicat, qui huiusmodi mutationibus (ut ita dicam) recens fuit. Nam loci illius sic meminit, quasi aut nondum omnino, aut non tanta staret Memphis. Quæ quidem uerba cũ sint satis obscura, ad hunc modum sunt explicanda. Argumentum seu indicium, quod opus Nili Aegyptus habeatur, illud est, quod ueteres, Aegypti paruitatem respicientes, eam ab una quam tenebat Ciui

tate Thebas nuncuparunt. Quod etiam (hoc ad superius dicta debet referri) Nili scilicet alluuione natam esse eam regionem, Homerus indicat, qui non à mutationibus, quæ anteceßerant, sed ad mutationes, quæ sunt consecutæ, recens & proximus fuit. Nam loci illius, idest Thebarũ, quas appellat Aegyptias, sic meminit, quasi nondum cõdita esset Memphis, aut si erat ædificata, non tamen tàm pulchra & florens, ut memoria aliqua digna esse uideretur. Verum non immerito quærere quispiam poßet, num Homeri temporibus eßet Memphis, ut si poetæ usu euenißet, illius facere mentionem potuisset, quam quidem rem posteris dubiam reliquit Aristoteles. Cui sanè dixerim, Homerũ nullibi Memphim nominasse, sed Herodotum, qui ANN. Vrbis Romæ.cccx. historiam suam condidit Thurijs in Italia, in qua quidem Historia Memphim à Mene primo Aegypti Rege ædificatam tradidit. Qui igitur hanc quæstionem cupit dissoluere, ineat, & subducat temporum rationem & summam faciat, Homerus ne Menem, an Mene Homerum ætate anteceßerit. FRA. Ita sanè fieri oportet. Sed quænam Aegypto mutationes acciderunt, à quibus Homerus fuerit recens. TIM. Nulla prorsus mihi nunc uenit in mentem, nisi fortè Aristoteles intelligat, Homerum (ut modo dixi)

non à mutationibus, quæ antecesserant, fuisse recentem, sed ad mutationes, quæ post ipsius tempora factæ sunt. Nam ita græcæ loquitur Philosophus.

πρόσφατος ὢν πρὸς τὰς τοιαύτας μεταβολάς.

Siquidem priusquàm Homerus extitisset, qui annos propè mille ante Plinium nostrum fuit, pars illa terræ, in qua quidē sita nunc est Memphis, aquis obsidebatur. Quod testatur Plinius libro secundo. Si Herodoto (inquit) credamus, mare fuit supra Memphim usq; ad Aethiopum montes. cuius quidem rei indicium est, quod Homerus ipsius Memphis, ut Thebarum Aegyptiarū, quæ à mari nostro magis distant, mentionem nō fecerit. Aruit autem postea illa regio Nili aggeratione, & Memphis fuit condita. Præterea & alia magna secuta est mutatio. FRA. Quænam? TIM. Dicā tibi Fracastore, atq; in memoriam reuocabo. Homeri temporibus pharos Aegypti insula à continenti tantum distabat, quantus est diei & noctis uelificus (ut Plinij nostri utar uerbis) nauigij cursus. At Nili Alluuione postea factum est, (quod idem asserit) ut Alexandriæ ponte iungeretur, sic enim insulam illam describit Homerus Odyss. libro quarto.

Νῆσος ἔπειτά τις ἔστι, πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε, φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι

Τόσσον ἄνευθ', ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείησιν ὄπισθεν.


Quos uersus ita expressi.

Mox in conspectu Aegypti iacet insula ponto
Dicta pharos, quæ tã procul à tellure remota est,
Quantum nauta die spatij rate conficit uno,
Cui uentus spirans à puppi lintea tendit.

Quapropter cum maior Aegypti pars Nili inuectu effecta sit, nemini dubium esse debet quin Nilus aquis è terra scaturientibus, quæ inde limum secum trahunt, certo tempore quotannis increscat. Hæc ferè habui, quæ dicerem de Nili incremento, cuius causas uel simul ambas accipere, uel alteram sine altera reddere tibi erit integrum. Quæ sanè disserui, non ut de fama & gloria tua quippiam detraherem, sed ut te potius ad aliquid copiosius & subtilius scribendum incitarem. FRA. Non te arbitrabar Timothee isto literarum genere amplius delectari, credebam te totum in sacris Mysterijs abditum, nec nisi coactũ ad Philosophos diuertere. Nunc uero cum te audiam de naturalibus quæstionibus disserentem, est mihi ualde gratum, quod à nostris studijs non abhorreas, præsertim cum me abs te sentiam amice admoneri, ut longe plura de Nilo libeat scribere.

TIM. Equidem uelim hoc tibi persuadeas. qui.n. poßim aliter cum Fracastoro? cuius diuina commentaria è manibus ferè nunq̃ depono, ac quadam admiratione commotus (ut par est) continenter laudibus effero. Sed tamen (uere dicam) non ea mihi pertractatio de Nilo uisa est, quæ tam paruo opusculo debeat explicari. Abs te igitur maius aliquod expectabimus.

Hæc cũ dixisset Timotheus, omnes surreximus. mox eo ibi relicto equos ascendimus, ac demum urbem ingreßi, cum iam aduesperasceret, ad ædes nostras reuertimus.



FINIS.

VENETIIS Ioan. Gryphius excudebat.
Ad instantiam Vincentij Valgrysij.
Anno domini. M D LII.

